


TM 0269







DE CAUSIS
MATRIMONIA-
LIBVS TRACTATVS
breuis Theologicus.

IN QVO NON TANTVM
PRÆCIPVA CAPITA ORDINA-
tionis Matrimonialis Wirtembergica, sed
& difficiliore nonnulli Casus alii
paucis explicantur.

CONSCRIPTVS PRO
Ministris Ecclesiæ in Ducatu Wirtembergico, &
Promptuario Connubiali antehac affixus: nunc
verò recognitus, quibusdam in locis
auctus, & certis de causis seor-
sim editus,

PER

Felicem Bidembachium D.



FRANCOFVRTI,
Typis Wolffgangi Richteri, sumptibus
Ioannis Berneri.

ANNO cl. lxxviii.

I. Corinth. 7.

*Præceptum non habeo, consilium
autem do.*



NOBILI, DO-
CTISSIMO ET EX-
CELLENTISSIMO VIRO,
ICto clarissimo, variarumque linguarum peri-
tissimo Domino Meliori Bonackero, Illustris.
Duci Wirtembergico à Consiliis, &c.
amico suo, vt integerrimo,
ita charissimo.

HN tibi, Optime & Amicis-
sime mi Domine Melior,
illum quem haud ita pri-
dem ex legatione Saxoni-
ca reuertus, nomine quorundam bono-
rum virorum, à me flagitasti Tractatum,
De Matrimonialibus Causis, breuem,
Theologicum, recognitum, paucis in
locis auctum, & seorsim typis excu-
sum. Qui licet nec eo consilio scriptus
nec talis sit, quem dignum censeam, vt
in exterorum quoque manus deueniat:
est tamen tuis auspiciis recusatus. Fecit

) (2 enim

E P I S T O L A

enim meus in te amor, vt persuaderi
 mihi passus fuerim, esse etiam aliis in lo-
 cis, non Ecclesiæ tantum Ministros, sed
 & alios viros bonos & doctos, quibus
 isthæc mea opella non displiceat. Quo-
 niam igitur illi, absque dubio in gratiam
 tui (quem mei amantissimum esse no-
 uerunt) potius, quam amore tenuitatis
 meæ, ita de his senserunt, dixeruntque:
 tu certè huius editionis culpam sustine-
 bis. Accipe autem hoc mutui mei amo-
 ris publicum Testimonium, & synce-
 rum: & hoc age, vt vel tandem eligas ti-
 bi vitæ sociam, de qua dicere possis, tu
 mihi sola places: vt intelligam te moni-
 tis plis & consiliis Sacrarum Scriptura-
 rum, imò ipsius adorandæ Trinitatis
 (quæ non iudicat bonum, hominem ef-
 se solum, Genes. 2.) non minùs acquie-
 scere, quam communis ille noster ami-
 cus, cui non ita pridem hanc eandem
 opellam (tum Promptuarii Connubia-
 lis Appendicem, iam verò tuo consilio
 inde auulsam) ante te dicaueram. Si
 enim porrò illud [væ soli Eccl. 4.] negle-
 xeris, alius mihi forsan propter te nouus
Tra-

DEDICATORIA.

Tractatus, de miserabili tuo tuiq; simi-
lum coelibatu scribendus erit. Tu inte-
rim cum MELIORI illo NOSTRO
(quem velim nosti, eum scilic. qui meis
qualibuscunq; scriptitationibus se mul-
tum fauere, haud ita pridem, te præsen-
te, non obscure significauit) patrię com-
munis studiosissimo, atque de eadem
optimè merito (rumpantur vt ilia Mo-
mo) viue & vale foelicissimè. Et vos me
vestri amantissimum amare pergite.
Scripsi in monte nobili, quem nosti.
Calend. Ian. Anno 1608.

Tuus ex animo

*Felix Bidembach. D. Abbas
Adelbergensis.*

✠ 3

LECTO-

LECTORI CANDIDO
ET BENEVOLO
Salutem.

VT intelligas, amice Lector, quibus de cau-
sis ad conscribendum hunc de *Questio-*
nibus Matrimonialibus qualemcunque tra-
ctatum accesserim, paucis rationes instituti
mei repetendas censui, quas etiam magna ex
parte ante triennium edito *Promptuario Con-*
nubiali pro ministris huius Ducatus, (in pra-
fatione istius libelli) exposui: cum eidem hunc
quem modo dixi *Tractatum* appendicis loco
subiecissem.

Frequenter admodum in hac extrema mun-
di senectate accidit, ut ad *Ecclesiae Ministros*
(non minus quam ad *Politicos*) in omnibus
non tantum ciuitatibus, sed pagis etiam ferè
quibuscumq; deferantur *causae & quaestiones*
difficiles, ambiguae & contentiosa, ubi inter-
dum *Coniuges dissidentes* separationem vel le-
ui de *causa* frustra quaerunt & inuicem recon-
ciliari nolunt: Vel *Parentes aut Curatores ma-*
trimonia, temerè à liberis vel clientibus (in-
sciis

PRÆFATIO AD LECTOR.

sciis & inuitis ipsis) contracta, rescindi petunt. Interdum homines leuiculi ipsi, post factam aliquam matrimonii promissionem, mox poenitentia sera ducti, pedem referre & vel promissionem negare, sicq; contractum matrimonium retractare, velt quibuscunque possunt artibus atque dolis, irritum facere conantur.

Non raro sanguinis aut affinitatis ratione iuncti, siue malitia siue imperitia, siue alia causa minimè graui inducti, nuptias sibi permitti cupiunt, lege vel diuina vel municipali prohibitas.

Nonnunquam adulterio pollutus consilium poscit, mox pars innocens separationem urget, tum ille delicti condonationem flagitat; nunc deserta persona secundas nuptias postulat; qui coniugem minus commodum sentit, suas ad ministrum Ecclesie querelas defert, opem illius implorat, vel denique alii alia petentes, Pastoribus suis cupide instant, urgent, & iniquissimis interdum postulationibus, ab iis, quod volunt, extorquere conantur: siue illud aequitati & legibus consentaneum sit, quod petitum est, siue minus; id parum gens sepe iusticia curat.

Vbi certè officii ratio postulat, vt primo

) (4 omnium

NOTA PRÆFATIO

omnium Capita Ordinationis Matrimonialis Wirtembergica, (prout ea publicè quotannis recitantur) eiusmodi hominibus, ut plurimum imperitis & rudissimis explicentur, inculcentur, legantur, repetantur.

Quo factò, cetera necessaria quoque cum ipsis (interdum magno cum fastidio) tractanda sunt prius, quàm ad Consistorium Matrimoniale & Iudicem Ordinarium remittantur.

Quia verò ea quæ dixi Ordinatio nostra, non brevis tantum (neq; enim aliter fere id genus scripti) sed & quibusdam locis (præsertim ubi de gradibus Cognationum tractatur) simplicioribus nonnihil difficilis intellectu esse videtur: & denique casus innumerabiles & varii accidunt, qui in scriptis legibus non semper sunt expressè: rogauère me nonnulli magni nominis viri, & Collega quoque honorandi, ut Ordinationis illius explicationem uberiorem, Promptuario meo Connubiali (quod cum fortè prælo subieceram) subnecterem.

Sic enim sperarunt fore, ut ipsi ecclesiarum Pastores non tantum gustum aliquem percipiant, quid, ubi causa illa Matrimoniales ad Iudicem Ordinarium deuoluta fuerint, spectari soleat, vel non: sed etiam commodius inde de

P R Æ F A T I O

Hoc autem loco, non sine graui causa quorundam obiectionibus aut cauillationibus occurrendum puto.

Sunt enim nonnulli, qui causas Matrimoniales ad Theologos planè nihil attinere garrunt. Ideoq; omnes illas Controuersias Iureconsultis decidendas relinquere debere sæpius urgent. Solent hi obtendere Locum Euangelicum Luc. 12. v. 13. ubi Christus compellatus à quodam, ut litem, de diuidenda hereditate, inter fratres componeret, illam causam à se peritus reiecit.

Sed & Lutheri auctoritatem allegant, qui in libello de causis Matrimonialibus, (extat is Tom. 5 germanico Ienensi fol. 237.) & altero illo Scripto in Matth. cap. 5. (ibidem fol. 381.) Theologos plane à cognitione & diiudicatione causarum Matrimonialium exclusit.

Sic sanè nonnulli pulchrè sibi sapere videntur: quòd idem cum Luthero statuunt,

His verò non meis sed magni illius Theologi, D. Chemnitii p. m. verbis respondendum puto. Sic autem ille habet:

Christus qui causam diuidendæ hereditaris prorsus à se reiecit Luc. 12. questionem de diuortis (Matth. 19. v. 4.) non similiter reiecit,

A D L E C T O R E M.

iicit, sed ex verbo Dei ostendit, quid cum norma institutionis consentiat, quid verò pugnet. Significat nimirum, quia in causis Matrimonialibus multi accidunt casus conscientiarum, ideoque Ecclesiam, & Ecclesiae Ministros non posse simpliciter causas Matrimoniales à se ad Politicum Magistratum reicere. Hactenus D. Chemnitius.

Et sanè quicumque sapit Theologus, sese non ingeret his rebus, quin potius optabit hoc maxime, ut ab eiusmodi causis grauioribus & molestissimis, ipsi quàm longissimè abesse liceat.

Explicat autè ipse D. Lutherus suam mentem ibidem: quod ubi casus Conscientiae sint ceteris negotiis Matrimonialibus admixti (ut sanè sunt plerunque) de illis Theologi suam omnino debeant aperire sententiam. Et si verba Lutheri penitus inspiciantur, hoc vult, Ministros Ecclesiae in decernendis pœnis (violatoribus Coniugii infligendis) non debere esse occupatos.

Eosdem tamen conscientiiis laborantibus opem ferre sapius iubet.

Et id sanè hactenus apud nos ita obseruatum fuit: ut Theologi quidem Assessores Consistorii

P R Æ F A T I O

Historii Matrimonialis, de his maximè, quæ ad substantiam Matrimonii pertinent, suam dicerent sententiam rogati: Iudicium verò de pœnis infligendis delinquentibus, Iureconsultis penitus relinquerent. Neq; enim soli Theologi de causis Matrimonialibus tractant apud nos, sed pauci (duo vel tres ad summum) cum plurimis Iureconsultis de illis iudicium ferunt: ita tamen ut quæcunque magis ad processum Iudicialem, quam ad substantiam Matrimonii spectare videntur, Iureconsultis expedienda relinquant.

Quæcum ita sint, nec Christi verbis, nec authoritati Lutheri, quicquam aduersum admitti liquido constat.

Ideoq; etiam mihi de causis matrimonialibus Theologicè, & pro Ministris Ecclesiæ scribenti, paulo æquiores futuros spero, qui alioquin eam, quæ dixi suprâ, opinionem, mordicus defendunt.

Lectorem autem candidum amicè rogo, ut si forsan in his meis questiunculis nonnulla inuenerit, quæ cum aliorum vel Theologorum vel Iureconsultorum sententia pugnare videbuntur, hoc vnum Augustini dictum audiat (de quo etiam iam ante in prefatione

Prom-

A C L E C T O R E M.

Promptuarii Connubialis, & alibi quoque, monui) quando inquit, posse in tali aliqua quaestione, cuius scilicet certam solutionem scriptura non expressit, interdum amicum ab amico dissentire, salva veritate. Sed & Hieronymo teste, Errasse humanum, at confiteri errorem, prudentis est.

Si qui verò hac mea oppella uti voluerint, dum vel antiquorum Theologorum de eadem materia editos libellos videre non datur: vel recentiorum prolixiores Tractatus legere non vacat, habebunt illi de his omnibus liberum iudicium, quo vel approbent quod placuerit, vel improbent quod offenderit.

Quantum ad ceteros attinet nasutulos, quibus nunquam ferè satisfieri potest, illis breviter ex Epistola August. ad Marcellinum 7. respondendum puto. Sic autem ille (in genere de omnibus quaestionibus dubiis) scribit: In talibus quaestionibus non multum laboro, quia etsi mea sententia liquida ratione defendi non potest, mea est, non eius authoris, cuius sensum improbare fas non est, etiam cum in eo non intelligo hoc, unde sentitur quod improbandum est. Ego proinde fateor me ex numero eorum

vum

P R Æ F A T I O

rum esse conari, qui proficiendo scribunt & scribendo proficiunt. Haëtenus ille.

Tandem verò, amice Lector, quia supra mentio facta est magnorum atque clarissimorum virorum, quorum opera haëtenus in Ducatu Wirtembergico cause Matrimoniales diiudicatae sunt, non ingratum, me tibi facturum puto, si honoris causa huc apponam nomina eorundem, quos dixi, Illustrium, Generosorum, Magnificorum, Nobilium & Consultissimorum virorum, qui Illustrissimis Ducibus Wirtemberg. & Dominis, D. Ludouico & D. Friderico, haëtenus fuerunt à Consiliis, atque simul ab Anno 1592. ad annum 1606. diiudicandis controuersis Matrimonialibus fidelem nauarunt operam: ut intelligant tam nostrates quàm alii, quanta cum auctoritate & consiliorum dexteritate, collatis multorum votis & sententiis, haëtenus cause ille, ad coniugium (sanctissimam illum Dei ordinationem) spectantes, fuerint tractatae: ut verè dici potuerit illud, Prouerb. II. v. 14. Salus ubi multa consilia.

SVNT

AD LECTOREM.
 SUNT AUTEM NOMINA
 prædictorum, iuxta seriem annorum, quibus singuli
 ad Senatum illum amplissimum & au-
 gustiss. accesserunt, hæc:

Generosi & Nobiles
 Iurisperiti.

Doctores & Iurecon-
 sulti.

Erasmus à Laimingen in Roteneck, &c.	Martinus Aichmannus D. Cancellarius.
Magnus curiæ Magister præses. *	Ioan. Georg. Reinhardus D. Camerae olim Im- perialis Assessor: Can- cellarius.
Eberhardus Dominus in Limpurg, sacri Roman. Imp. pincerna hæredi- ditarius: Magnus curiæ Magister, præses.	Hieronymus Gerhardus D. & Com. Pal. Cæsar. Vice-Cancellarius. *
Ioann. Wolffgang ab An- weil.	Christianus Tholdius D. Vice-Cancell. *
Fridericus de Plieningen.	Balth. Eisengrein D.
Ioann. Christophorus ab Engeltzhouen.	Iacobus Haug. D.
Wolfgangus ab Vhrmüll.	Sebastian Mitt chelin D.
Sebastianus Wellingus à Vehingen.	Ioan. Küelman.
Ioan. Albertus ab Anweil.	Ioan. Bidenbach D.
Ioan. Fridericus à Teger- naw.	Vlricus Eroll D.
Martinus Ludou. à Rem- chingen.	Simon Aylim D.
Burcardus à Weiler.	Ioan. Braßberger.
Daniel Büwinckhausen de Walmenroda.	Ioan. Ludou. Walch D.
Balthasar à Francken- berg.	Ioan. Christ. Reinhart D.
	Melchior Bonacker
	Wilhelm Daser D.
	Sebastian Hornmoldt.
	Fridericus Daiker.

His præ-

PRÆFATIO AD LECTOR.

His prænominatis Theologi in cognitione & diuicidiatione controversiarum Matrimonialium, in eisdem temporibus (alia post alios) admixti fuerunt hi:

Lucas Osiander D.
Wilhelmus Holderus.
Andreas Osiander.

Felix Bidembäch.
M. Daniel Schröthlin.
M. Erasmus Gröninger.

Conseruet Dominus omnes superstites in pace: & sit memoria defunctorum in benedictione. Amen.

Tu autem Lector amice vale, & his omnibus vna mecum omnia fausta & foelicia precare. Amen.

Catàlogus Theologorum, quorum sententiam author sequutus est in conscribendo tractatu sequenti: licet nomina illorum non ubique expresserit.

Ambrosius.
Augustinus.
Andreas Osiander senior.
Andr. Osiander junior D.
Adamus Francisci.
Ægidius Hunnius D.
David Chytræus D.
Ioannes Brentius.
Iacobus Andreæ D.

Ioan. Winkelmannus D.
Lucas Osiander D.
Martinus Lutherus D.
Martinus Chemnicus D.
Matthias Hasenreffer D.
Nicolaus Hemmingius.
Philippus Melanthon
Tillemann. Heshusius D.
Wilhel. Bidembachius D.

SEQVI



SEQVITVR

TRACTATVS DE

causis Matrimonialibus, breuis
& Theologicus.



Causa est sententia illa S. sancti, Heb. 13. v. 4. qua coniugium honorabile in omnibus esse pronunciat. Quibus verbis hoc innuitur, coniugium cum sit res sancta & diuinitus instituta, sanctè etiam tractari debere, ab omnibus personis, in omni loco & omni tempore.

Tanta verò est huius mundi peruersitas, præsertim his extremis temporibus, vt vix vlla sit constitutio diuina, quæ conuellatur licentius & labefactetur grauius, quam ipsum sanctissimi coniugii vinculum.

Ideoque Magistratus officium est, partim legibus, illam quam diximus ordinationem diuinam sic munire, partim verò pœnis seuerissimis ab omni iniuria malitiosorum vindicare, vt omnes intelligant, non licere cuiquam illa sanctissima vincula, temerè & petulanter rumpere, aut vlla ratione profanare: cum hoc sit

¶

ipsi

ipsi diuinæ Maieftati in faciem resistere & contradicere.

His de causis laudabiliter constitutum est, vt ordinatione certa Matrimoniali comprehensa homines quantum fieri potest, in officio contineantur, dum iuxta illius tenorem Matrimonia legitimè contrahere, contracta verò inuiolatè seruare iubentur.

Eaque de causa breuiffima illius quædam summa in omnibus templis quotannis (quarta vice) publicè ex suggestu recitari solet, ne quis ignorantiam suam vlla ratione prætereundere possit.

Hanc illius summam iam (cùm breuis sit) sequenti explanationi præmittere libet, vt ipsa quoque literæ lectori constet.



Kurzer



Kurzer Inn- halt der Eheordnung:

Wie solche zu gebührender Zeit
auff der Canzel soll verlesen
werden.

C A P V T . I.

Von heimlicher vnordentlicher Eheverpflichtung
der Kinder/ ohne vorwissen vnd willen der
Eltern oder Vormündern.

DS soll in Betrachtung vieler
erbarer vnd Christlicher Ursas-
chen / niemandt / so noch vnter
vätterlichem Gewalt ist / sich
ohne rath / vorwissen vnd willen seiner El-
tern / Ehelich verpflichten.

Im Fall aber / daß ein Kind / so noch in
vätterlichem Gewalt / ohne Bewilligung
seiner Eltern / sich würd Ehelich verpflichten /

A ij

alsdann /

alsdann sollen dieselben Personen / im fall wo die Eltern darein nicht bewilligen wölslen / von vnsern Pfarrern in der Kirchen / nit außgerüfft noch eingesegnet / sonder für vnserer Eherichter / hierinn ordenlichen rechtmessigen Bescheid vnd Erkantnuß zu erholen / gewiesen werden.

Vnnd so sich befinden würde / daß das Kind sich vnbedächtlich oder ohne alle rechtmessige billiche Ursachen / allein auß mutwilligem Vngehorsam / vnnd hinderlistiglich / vermeyntlich ehelich versprochē hett / so werden dieselben beide vngehorsame vnd mutwillige Manns vnd Frawenpersonen / an Leib oder Gut / nach gestalt der Sachen / ernstlich gestrafft / vñ so viel desto ernstlicher mehr / wo neben solcher vngehorsame / auch die Beyschlaffung / Schwächung oder Schwängerung gefolgt were.

Es werden auch alle die jenigen / so zu der Kinder obgemelten vngehorsamen vnd vnrechtmessigen Eheverlobungen gerathen / oder ihnen in einicherley Weiß / hinder den Eltern geholffen haben / nach vermög vnserer Gnädigen Fürsten vñ Herrn Landtsordnung /

ordnung/die Kupler vnnnd Kuplerin/ iē. bes
langend/ernstlich gestrafft werden.

Darneben aber sollen auch die Eltern/
ihres Ampts/ Gewissen/ vnd Seelenselig-
keit/fleißig erinnert seyn / daß sie mit vereh-
lichen ihrer Kinder / die erbar vnd billichkeit
bedencken/ vnd gefährlicher oder eigennützi-
ger Weise / in die hartz / ohne merckliche/
rechtmässige Ursachen gemelte Verhey-
rathung nicht verziehen. Dann wo sich das
befünde / - so ist vnser gnädiger Fürst vnnnd
Herz entschlossen / solchen vnväterlichen/
vnerbarn vnd gefährlichen Verzug/ der geo-
bür nach/mit ernst straffen zu lassen.

Vnnnd was hie von der Kinder Gehors-
sam/ gegen den Eltern / in Eheverpflichtun-
gen/geordnet / das solle auch von den Wais-
sen/ gegen ihren ordenlichen Vormündern/
vnd nechstgesipten Verwandten (mit seiner
Maß) verstanden werden.

C A P V T II.

Von Eheverpflichtung deren Personen / so nicht
vnder der Eltern oder Vormündern
Gewalt seyn.

Es ist vnser gnädigen Fürsten vnnnd
Herz Meynung vnd Befelch/wann
A iij Pers

Personen (die gleichwol / wie gehört / nicht
mehr vnder vätterlichem Gewalt / oder
Vormündern seyn) sich mit einander Ehes-
lich verheyrahten wollen / daß dieselbē zu sol-
cher Eheverlobung / zu wenigsten zu erbar
redlich vnparteisch Personen nemmen sollen /
durch welche solche Eheverpflichtung / im
fall der Notturfft / gnugsam vnnnd rechtmes-
siglich möge bewiesen werden. So ferz es a-
ber nicht geschehe / vnnnd es trüge sich zu / daß
einer oder eine / das ander vmb die Ehe recht-
lich anfechten / vñ aber auß mangel der Zeu-
gen / so dabey gewest / solchs nicht / wie sich zu
Recht gebürt / beweisen möcht / sonder die
angesprochen Person würde mit Recht / der
Ehe halben / ledig erkennen / so würd dieselbig
Manns oder Weibsperson / so im Rechten
verlünstig / vber die gewönlichen Gerichts-
kosten / (darvon hernach Meldung beschicht)
nach Gelegenheit der Person / vnnnd anderer
Umstand / gestrafft.

Wo auch in einicher obgemelter strittis-
gen Ehesachen / die Eheverlobung / vnd dar-
zu Schwängerung / oder zu wenigsten Bey-
schlafen oder Schwächung bekant / oder
sonst bewiesen / vnnnd aber solche angezogene
Ehe

Ehe auß einicher Ursach nicht zugelassen würde/alsdan wirdt die Manns Person/von wege solcher Schwängerüg/Schwechung oder Benschlaffens / also bald ein Monat lang im Thurn an Boden gelegt/ vnd auff sein Kosten mit Wasser vnd Brot gespeist/ auch die Fraw vierzehnen Tag/in einer Frauen weng gefengnuß gestrafft / vnd doch jr Forderung / von wegen der Schwechung vnd Schwängerüg/ sampt oder sonderlich vorbehalten seyn.

Vnd wann gleich ein solche strittige Ehe von Eherichtern vnd Kähten zugelassen würde / so werden sie doch beyde / von wegen des heimlichen Benschlaffens / vor zulassung der Ehe/vnd auch dem Kirchgang/ gestrafft/nemblich die Manns person acht Tag in Thurn an Boden mit Wasser vñ Brot/ vnd die Fraw vier Tag/ in ein Frauen Gefengnuß gelegt werden/vnd darzu inen beyden Spiel oder Gest / auff der Hochzeit zu haben / oder ihr ein Kränklein zum Kirchgang zu tragen/verbotten seyn.

So aber die Ehe nicht bekant/oder sonst bewiese würde/sonder allein das Benschlafen/ alsdann wirdt die flagend Person dem

Antworte in Costen vnd Schaden fällig
erkannt / vnd darzu der Mann vierzehnen
Tag im Thurn an Boden / mit Wasser
vnd Brot / vnd die Fraw acht Tag / in einer
Frawen Gefencknuß / gestrafft.

CAPVT III.

Von der Sipp vnd Magschafft.

Nachdem es sich ein zeitlang je lenger
je mehr zugetragen / daß etlich vns
verschempft Personen / vngeachtet /
daß sie mit Sippeschafft oder Magschafft /
einander dermassen verwandt / daß sie götts
licher auch natürlicher Zucht vnd Erbar
keit / oder sonst rechtmessiger Sakungen
halbē / kein rechte / ordentliche vnd Göttliche
Ehe mit einander besitzen mögen / sich Ehe
lich zusammen zu verpflichten / vnderstans
den / welchs dann vor Gott greulich / vnd
abschewlich / auch darauß viel Ergernuß /
vnd sonst aller hand Vnrath erfolgt.

Demnach das Göttlich / natürlich Ges
saz / auch Keyserlich geschriebene Recht / von
wegen der Sippeschafft oder Magschafft /
die Ehe verbieten / sollen alle die Personen /
so im andern vnd dritten Grad der Sipps
schafft

Schafft vnd Blutverwantnuß / als nemlich /
 Geschwisterigte Kinder / vnd Geschwisteri-
 gte Kindskinder / dergleichen ihrer Vatter
 oder Mutter halben / in gleichem obern / vnd
 vndern Grad zugethanen Vettern vnd
 Basen / oder im dritten Grad / der Mag vs
 der Schwagerschafft / als des abgestorbenen
 Weibs oder Mans / geschwisterigte Kinder
 oder geschwisterigte Kindskinder / einander
 verwandt seyn / bey vermeidung irer J. G.
 Bagnad / auch ernstlicher Straff / sich kei-
 nes wegs mit einander Ehelich verloben /
 oder noch weniger bey einander schlaffen.

Wo aber jemand sich hierinn ungehors-
 samlich halten würde / alsdann werden dies-
 selben Partheien / von den Pfarrern nicht
 verkündigt / noch eingesegnet / sondern für
 ihrer J. G. Eherichter vnd Rätthe / ein ge-
 bührlichen Bescheide zu erholen / gewiesen /
 vnd so von den Partheien / obgehörter ge-
 stalt / offenbarlich vnd wissentlich / wider
 natürlich Erbarkeit / vnd rechtmässige Sa-
 kungen gehandelt / dieselben Personen / ganz
 ernstlich / nach gestalt der Sachen gestrafft
 werden.

Keines soll auch sein adoptiert / vnd an

A v

Kindes

Kindesstat angenommen Kind / noch auch
 das in seiner Verpflegung oder Bervogtüg
 ist / ihme selbst / oder sein / des Pflegers oder
 Vormünders Sohn oder Tochter / anderst
 dann die Recht zulassen / bey schwerer Un-
 gnad vnd Straff / verhehlichen.

C A P V T I V.

DA sich auch begeben würde / das ein
 Jungfraw oder Fraw von einem
 mit List / Trug / oder ander Hin-
 derfürungen / ohne oder mit Gewalt / heim-
 licher oder trüglicher Weiß / weg geführt / vñ
 solchs vor vnsern Eherichtern vnd Rätthen
 beygebracht würde / nicht allein zwischen sol-
 chen Personē / kein Ehe erkennt / sonder auch
 der / so gehörter massen gehandelt / in gemei-
 ner Recht / auch ihrer S. G. ernstliche Straff
 gefallen seyn / welche auch an solchem Vbel-
 thättern / nach Gestalt vnd Gelegenheit der
 Vbertretung / an Leib oder Leben / mit
 rechlicher Erkantnuß / vollstreckt wirdt.

C A P V T V.

Von Ehescheidung des Ehebruchs halben.

Nach dem etlich Ehegemächte / so von
 wegen des begangenen Ehebruchs /
 durch

Durch ihrer Fürst. Gn. Eherichter vnd Rätth/
 von einander gescheiden seyn / sich eigens
 Willens / nach der Schiedung / anderwärts
 zu verheyrahten fürnehmen / so ist ihrer F.
 G. ernstlicher Will vnd Meynung / dz hinc
 füro kein geschiedē Ehegemächt / sich eigens
 Gefallens widerumb verheyrahte / sonder /
 so es deßhalben Beschwerd tragen würde /
 solchs ihrer F. G. Eherichtern fürbringen /
 vnd von ihnen deßhalb Bescheids erwarten.

Es wirdt auch der Straff halben gegen
 der Ehebrüchigē Person / vermög ihrer F. G.
 außgefündten Landsordnung / mit deß
 Ampts verweisung / so lang das vnschuldig
 vnverheyrat bleibt / gehalten. Im fall aber /
 da das vnschuldig den andern Heyrath / auß
 billichen ehehafften Ursachen / vor ihrer F.
 G. Eherichtern erlange / vñ sich widerumb
 verheyrahte / das schuldig deß Lands verwies
 sen / vnd nichts destoweniger dem vnschuldig
 gen sein Forderung / von Verwirckung wes
 gen deß Ehebrüchigen Guts gegen de schuld
 digen / vor dem ordenlichen Gericht / in all
 weg außzuführen / vorbehalten seyn.

Doch wo die Eheleut / auß einicher obges
 melter Ursach / mit d' Brtheil geschiedē wer
 den /

den / so mögen sie sich wol mit einander widerumb Christenlich versöhnen / vnd einander Eheliche Beywohnung thun / darinn ihrer S. G. Amptleut/ allen müglichen fleiß fürwenden sollen.

Wo auch das vnschuldig Ehegemächt/ in schwebendem Rechten / vnd ehe die Endurtheil ergeheth/ auch Ehebrüchig/ vnd solchs bewiesen würde / alsdann sie beyde Ehegemächte nicht geschieden / sondern sie beyde einander widerumb Eheliche Beywohnung zu thun/ schuldig seyn/ vnd nicht destoweniger beyde vermög ihrer S. G. Landesordnung/ gestrafft werden.

C A P V T V I.

Von versöhnung vnd zusammenhädigung der Eheleut.

Wo Ehegemächte/ auß gefastem vnwillen/ Reid/ Haß/ Grimme/ einander Eheliche Beywohnüg nicht thun wolten/ sollen Amptleut vnd Gericht/ allen müglichen Fleiß ankeren/ vnd ernstlich Handlung fürnehmen/ die verworne Eheleut / auch wo das nüzlich / vnd erschießlich / durch Thurn oder ander gebührende Ertaff/

Straff / in Freundschaft zu bringen : wo
aber solches alles nicht helffen / für Eherich-
ter vnd Râth gewiesen werden.

C A P V T V I I.

Von Ehescheidung des hinweglauffens / oder
anderer Ursachen halben.

Es solle kein Manns oder Frawen
Person / von welchem sein Ehege-
mahl gezogen / ehe es gründlich weiß /
oder glaubwürdig bezeugen kan / daß sein
hingezogner Ehegemahl mit Tod abgans
gen / ohne Erlaubnuß ihrer J. G. Eherich-
ter vnd Râthe / sich anderswerts verheyrath-
ten / oder noch weniger beschlaffen / bey
straff / Leibs / vnd Guts / nach gestalt der
Sachen.

Es sollen auch dergleichen Personen /
auff der Cankel nicht verkündiget / oder vor
der Gemein / ein solche Ehe bestettiget / son-
dern ihrer J. G. Amptleuten angezeigt / die
es alhdann / ohne verzug / an Eherichter vnd
Râth sollen gelangen lassen.

A P P E N D I X.

Von Gerichts Costen.

W fern in strittigen Ehesachen / jes-
mands das ander vmb die Ehe bes-
flagen /

klagen/ aber sein Klag zu Recht mit gnug beweisen/ oder sonst in and. r Weg sein Gegens- theil / in vnbillichen Kosten vnnnd Schaden einführen würde: So werden die geordnete Eherichter vnnnd Rāth/ in allen Ehesachen/ neben andern Peenen / wie oben erzelt / die verlustige Parthey/ der obsigenden / stracks in Kosten vnnnd Schaden fällig erkennen.

Vnnnd ist hierauff ihrer S. G. ernstlicher Befelch/ daß menniglich diser Ordnung/ so viel sie ein jeden belangen mag/ fleissig vnnnd gehorsamlich nachkommen/ auch hierinn gar niemandts verschonet werde / darmit sich niemandts einicher Unwissenheit entschuldigen könne.

Noch behalten ihre S. G. dero bevor/ diese Eheordnung / in einem jeden Puncten/ nach gestalt vnnnd gelegenheit der Sachen/ wie ihre S. G. jederzeit für notwendig ansehen wirdt/ zu leutern/ zu mindern/ zu mehrn/ oder gar abzuthun.

Et hæc quidem hæctenus summam continent Ordinationis matrimonialis. Sunt itaque (vt apparet) huius Ordinationis VII. præcipua & principalia capita (de expensis enim dicere non est nostri instituti) quæ iam paucis, Deo

nos

nos bene inuante, explicabimus, additis quibusdam etiam quaestionibus singularibus.

CAPVT I.

De promissionibus eorum qui sub potestate aliorum sunt.

QVÆSTIO I.

An liberi absque parentum consensu possint contrahere matrimonium?

Respondetur, Quod NON.

HOc loco sacrae literae respondent & legibus, & exemplis, congruentibus cum Ordinatione nostra Matrimoniali Würtembergica, & Iure Communi.

Quod verò nulla ratione liceat absque parentum consensu matrimonium contrahere, recte statuitur.

I. Idque non tantum ex fundamento quarti praeccepti, quod parentes honorare iubet, sed & hanc ob causam, quod lex diuina expresse vult, parentem filio accipere uxorem. Colligitur id ex Deut. 7. ver. 3. Non dabitis filias vestras filiis Chananæorum, nec filiis vestris accipietis filias illorum uxores. Iud. 21. v. 7. iurasse leguntur Israelicæ, quod nolint Beniamitis dare filias suas in uxores. Idem volunt Exod. 21. & 22. Legitur enim Exod. 21. v. 9. Si pater filio suo desponsauerit

uerit filiam ancillam, faciendum iuxta morem filiarum. Exod. 22. vers. 17. Si pater virginis *dare noluerit* virginem, &c. Expressum Dei mandatum extat Ierem. 29. v. 6. *Date* filiis vestris vxores, & filias vestras *date* viris, &c.

Huc accedunt exempla Scripturæ, quibus patet, filiis datas à parentibus vxores, non absque parentum consensu acceptas.

Ismael fuit alioquin homo ferus & agrestis, nihilominus tamen adeò ferus non fuit, quin obseruaret honestatem & debitam reuerentiam matri exhiberet. De hoc adulto legitur: Genes. 21. vers. 21. *Acceptit illi mater sua vxorem Ægyptiam.*

Genes. 24. Isaac licet quadragenarius [Gen. 25. vers. 20.] non tamen sibi accipit vxorem, sed patris voluntati sese exponit, & tam diu expectat, vsque dum pater misso seruo illi vxorem procuret de cognatione sua.

Iud. 14. Samson, iuuenis, licet singulari & heroico spiritu præditus fuerit, tamen parentum consensum implorat, cum vellet ducere vxorem ex Philistinis. Nec prius quicquam tractat, quam parentes cum ipso descendant. Vide etiam Luth. Tom. 2. ger. Ien. fol. 445.

Docent hæc omnia, parentum consensum necessariò requiri, si legitima coniugia esse debeant.

Ideoque iuxta ordinationem nostram rescinduntur promissiones factæ, vel insciis vel in-

uitis

uitis parentibus: & pronuntiatur in hoc casu (si maximè centies per liberos facta, & millies repetita sit promissio) *nullum* esse inter contrahentes propria auctoritate *matrimonium*.

Nec impunè ferunt; qui mandatum Magistratus conforme legi diuinæ temerè & imprudenter contemnunt. Cùm enim sub potestate parentum sint; non possunt illi priuata auctoritate fidem dare matrimonii.

Peccant etiam grauissimè; qui cum liberis inuitis parentibus de matrimonio tractant.

Peccant etiam Proxenetæ & internuntii, qui inobedientiam liberorum erga parentes iuant, vel tamen non impediunt. Ideò pœna ipsi iure infligitur.

Non disputabimus hic prolixè contra Pontificios, qui de honestate quidem esse dicunt consensum parentum in nuptiis liberorum: nō autem de necessitate. Dicunt etiam sufficere consensum contrahentium, ideò non requiri consensum parentum. Hanc illorum sententiam doctissimi quidam, in primis Iureconsulti, ex ipso Iure Canonico accuratissimè refutarunt.

Et sanè potestas parentum in liberos etiam lege Naturæ in profanis gentibus confirmata fuit. Inde Sichem filius Hemor Genes. 34. à patre sibi Dinam vxorem dari petit. Vbi quidem fatius fuisset ante stuprum consensum patris explorare.

B

II. Hic

II. Hic quæri solet, si insciis & inuitis parentibus, filius vel filia iuramento interposito alteri fidem dedisset, quid tum faciendum, vtrum parentes etiam illud possint rescindere? & sentiunt nonnulli, quod hoc casu parentes non possint irritam facere promissionem. Multi etiam prætendunt se iuramento interposito promississe alteri conjugalem fidem: vt sese (sua quidem opinione) possint subducere patriæ potestati.

Lutherus vero respondet, nec hoc casu labefactari parètum potestatem. Quia iuramenta liberorum nihil possunt præiudicare patriæ potestati. Quod si votum vxoris licuit retractare marito, Numer. 30. quare non etiam liberorum?

Et sanè omne iuramentum impium rescindi debet. Quis verò iuramentum factum contra quartum præceptum Decalogi non pro impio habebit? Iuramentum enim iniquitatis vinculum esse non debet: nec contra Dei voluntatem fieri.

Dupliciter peccant hoc casu liberi. 1. Quòd matrimonium contrahunt insciis parentibus. 2. Quòd iuramento rem impiam confirmant, & peccatum peccato cumulant.

Hoc tamen casu monendi parentes, vt nisi causæ sint grauissimæ, (vbi animæ liberorum periculum imminet) non facilè talia iuramenta liberorum rescindant, sed conscientias suorum parcant. Conscientia enim res tenera est,

quæ

quæ ludum non patitur. Caueant verò liberi, ne quid tale committant, quod contra diuinam ordinationem, vel contra propriam conscientiam sit: & cuius postea poenitere possit.

Grauiissimas etiam causas Magistratus habet, hanc liberorum temeritatem seuerissimis poenis vindicandi.

III. Quòd si verò res non amplius sit integra, & ad promissionem etiam copula carnalis accessit, quæritur an hic etiam parentum disensus locum habeat, & possit impedire nuptias.

Hoc casu multi, & Theologi (& in his etiam Philippus & Adamus Francisci in Margarita & Atq; etiam ipse magnus Theologus Chemniius in *Locis Cõmunibus* sequutus Philippum) & Iureconsulti statuunt, post concubitum non amplius authoritate parentum posse rescindi coniugia: cùm sit habenda ratio mulieris iam vitiatæ.

Sunt tamen, qui contrarium statuunt. Cùm consensus non concubitus faciat nuptias. Et lex illa, Exod. 22. vers. 17. videtur hanc quæstionem decidere, quòd Deus in potestate patris reliquit, viro vitiatam filiam tradere vel non. Accedit historia de Sichem, qui etiam post vitiatam Dinam consensum patris implorauit. Et fratres Dinæ pro consensu rogauit: qui non nisi certis conditionibus assenserunt: eidemq; po-

B a stea

stea & vitam & vxorem eripuerunt. Genes. 34.
Sed malè hoc.

Et notandum hoc casu, si filius vel filia post concubitum nihilominus se subiiciat potestati patriæ, interdum etiam rescindi promissionem temerè aliquando factam, & concubitu confirmatam: præsertim si filius, vel filia sit minorennis, & altera persona inhonesta, aut si alia & tales concurrant circumstantiæ, quæ factum hoc magis accusant, quàm exculant. Vnica enim circumstantia totum factum potest variare. Nec toleranda est hæc nequitia liberorum, qui vt parentum consensum vel extorqueant, vel reluctantes parentes dolosè circumueniant, aut fingunt copulam interuenisse, aut reuera carnaliter cognoscunt adamas, quibus se tanto facilius potiri posse sperant.

Pœnis itaque grauissimis coercenda est hæc malitia.

Verum autem est quod magna fiat vitiatæ iniuria. Sed non minor fit iniuria parentibus, si propter vitiatam illi sua potestate exuantur. Quæ duplex iniuria est.

IV. Disputatur etiam hoc, utrùm parentes teneantur dissensus sui reddere rationem necnè. Et sunt, qui statuunt parentes non teneri, vt rationem reddant.

At quia hodie multorum parentum magna est, vel rusticitas, vel *ασοπρία*, iniquum videtur, impedire nuptias liberorum, sine omni causa:

causa: præsertim si cum honestis & bonis coniungi optet liberi. De quo postea plura suo loco. Ideoque si honestus animus sit vtriusque contrahentium, & par etiam conditio, nec vlla subsit causa, ob quam parentes honestè possint repugnare, debent ministri Ecclesiæ fideliter monere parentes, vt suis & liberorum conscientis parcant, & non sint ἀσέβητοι.

Si tamen vnā illam causam iustè possint prætere, quod clam & insciis illis, liberi *minorenes* aliis fidem dederint, & quod altera pars clandestinas nuptias quæsierit, si contra ordinationem publicam fecerit: cum parati sint ipsi de honestis nuptiis prospicere liberis suo tempore: non possunt vrgeri fortius. Et hoc casu rescinditur matrimonium in nostro Consistorio, si maximè alias dissensus sui causas non habeant parentes.

V. Hic autem parentes monendi sunt, si semel consenserint, siue fuerit is consensus expressus, siue tacitus (puta si pater sciuerit filium ambire huius, vel illius nuptias, ipse verò non contradixerit, sed dissimulauerit) non posse illos postmodum dissentire aut repugnare: nec vltra dissensus vllam prætere causam. Etenim valet hoc loco regula illa Iureconsultorum, quod semel placuit amplius displicere non potest. Ideoque si dissentiat pater, maturè dissensum suum manifestare poterit, & liberos à

proposito dehortari. Huc pertinet caput Numer. 30. vers. 5.

VI. Tandem quæritur etiam, vtrum quoad dissensum patris & matris eadem sit ratio.

Certum autem est, si vterque parens in viuis sit, maiorem esse habendam rationem patris, qui est caput vxoris: cuius voluntati parere debet honesta coniunx. Et rectè fit, si vterq; coniunx hac in parte consentit, præsertim si nuptiæ sint honestæ. Vide, quomodo eadem sit voluntas coniugum piorum, scil. Isaaci & Rebeccæ, qui vnanimis votis descendunt in hanc sententiam, Iacobo filio non ducendam Chanæam. Genes. 27. & 28. vbi apertè dicitur, quòd Iacobus patri & matri obedierit, &c.

Patre verò defuncto, nihilominus requiri consensum matris viduæ, & illam non esse deerioris conditionis, (hac in parte) quàm fuit pater, statuunt Theologi. Idque ex fundamento quarti præcepti, vbi Deus non minùs præcipit honorari *matrem*, quàm patrem. Et suprà diximus, *matrem* Ismaëlis (quæ, quasi vidua nõ ampliùs conuersabatur marito Abrahamo) accepisse filio vxorem. Gen. 21. Vult Tobias sæpè cogitare filium, quæ pericula subierit mater in partu, &c. Tob. 4. v. 4. vt non minùs honoris illi debeat. Vide etiam Prou. 30. v. 17.

Hæc quoq; est sententia Lutheri de Hagar. Gen. 21. Possent etiam adduci exempla Ethnicorum, quorum haud pauci, matrum consensum

sensum in coniugio ineundo, requisierunt.

Quòd si maximè videatur matris nulla hæc in re esse potestas, quia mulieres sint inconstantes & mutabiles, potest hic defectus suppleri, si illa hanc rem tractet cum cõsanguineis, vel cognatis mariti defuncti, aut cum curatoribus, si qui illis sunt adiuncti.

VII. Notandum & hoc, parentibus defunctis, in hoc casu, eandem esse planè potestatem Aui & Auiæ, si illi adhuc sint superstites, quæ fuit aut debuit esse, patris & matris viuentis.

QVÆSTIO II.

Vtrum parentes liberorum suorum matrimonia semper impedire possint.

I. Quia parentibus incumbit hæc cura, vt maturo consilio liberos suos elocent, ideoque vltra tempus legitimum ipsos secum detinere, & à coniugio abstrahere non licet. Præsertim si id tantùm priuati fiat commodi causa, vel ne dotem cogantur numerare, aut bonorum partem ipsis elargiri, vel vt diutius illis, tanquam seruis & ancillis vti possint.

Paulus certè suadet nuptum elocandam virginem, quæ iam sit nubilis. 1. Cor. 7. v. 36.

Syr. 7. v. 27. Trade filiam, & grande opus fegeris, & homini sensato da illam. Quale enim periculum sit, si vltra tempus legitimum detineatur, patet, Syr. 26. v. 15. Et cap. 42. ex profes-

so id tractat Sapiens non procul à fine: quanta sollicitudine pius parens detineat filiam.

Parcendum etiam conscientis liberorum. Patria enim potestas, vt rectè dicunt Iureconfulti, in pietate, nō in atrocitate cōsistere debet. Ideoq; ordinatio ecclesiastica seuerissimè mandat, ne contra officium paternum, ex ἀσέβεια quicquam hac in parte peccetur. Et hoc casu, si liberi sint maiores, & parentes semper tergiuersentur, nec velint illos coniuges fieri, Magistratus suum rectè facit officium: & rigorem illum minimè paternum temperat.

Iudices etiam atque Consistoriales hoc casu diligenter considerant apud nos, vtrum parentes hebeant causam probabilem refragandi, vel non. Et sanè non est concedendum, vt parentes suam potestatem latiùs extendant, quàm par est. Si enim filii maiores, parentum auctoritatem, & consensum requirant, illi verò semper repugnent, nec habeant causas dissensus: præsertim si filii velint nubere honestis & his, quæ pares sint moribus, (si maximè non diuitiis) certe illorum dissensus in iudicio Matrimoniali non est magnificandus. Cū honestas & boni mores, semper sint diuitiis præferenda.

Hoc loco etiam ministri Ecclesiæ suum officium facere, & filiis ita constrixis subuenire debent, monendo, adhortando, conuincendo parentes.

Luthe-

Lutherus hanc parentum *ἀσογία* rusticam pertinaciam vocat: & suadet hoc casu, vt liberis Magistratus & Ecclesiarum ministri opem ferant: vt sic malitia parentum coerceatur, cum hac ratione diuinæ ordinationi resistent, nec velint benedictionem Domini impleri in liberis suis.

Hæc intelligenda sunt, de his, qui ad iustam ætatem peruenerunt, & habiles sunt ad matrimonium contrahendum.

QVÆSTIO III.

Vtrum parentes cogere possint liberos ad ducendas coniuges, quas ipsi elegerunt.

Sicut patres matrimonium liberorum non semper impedire possunt, ita vicissim eodem non debent cogere ad ducendas coniuges, quas ipsi elegerunt, refragantibus liberis.

Solent enim nonnulli parentes non habita ratione pietatis, religionis, honestatis, &c. interdum filiis, vel tantum propter diuitias, aut splendorem familię, tales obtrudere coniuges, a quibus ipsi planè abhorrent. Nec hoc paternum est. Licet enim parentes possint matrimonia contrahere pro liberis suis, (vt Abrahamus pro Isaaco, Gen. 24.) tamen hæc matrimonia nunquam suum verum sortiuntur effectum, vel finem, nisi consentientibus liberis. Ideoque Rebecca consensum explorant amici & cognati prius, quàm illam dimittant. Gen. 24. *Quam-*

B 5 uis

uis id de abitu potius, quam de ipso matrimonio intelligatur: quia de illius assensu iam antè constabat, cum arrham & clinodia acceperit. Valet id etiam in hoc casu. Cum enim Deus instillet mutuum amorem conjugalem, non rectè faciunt parentes, si obtrudant liberis tales, à quibus abhorrent: cum ipsa ratio dicat, diuinitus hanc rem non geri. Peculiarem de hoc casu Epistolam scripsit Lutherus ad nobilem Ioannem S. hotten, Equitem auratum: quæ extat Tom. 2. germ. Jen. fol. 443. scripta Anno 24. Mense Maio. Vbi contendit omnem potestatem à Deo non esse datam ad perdendum hominum animas, sed ad emendandum illas. Cum igitur liberi coacti huic vel illi nubere, præter suam voluntatem, quasi ad infernum detrudantur à parentibus: non rectè hoc fieri, ait. Hac enim ratione parentem non facere officium patris, sed Tyranni mores imitari.

2. Maior tamen difficultas apparet in eo, quando quæritur, quid faciendum liberis, si cogere velint parentes. Si autem talis filius vel filia, non velit imitari Iacobum Patriarcham, qui retinuit Liam, quam præter voluntatem socer illi obtruserat, nec forti animo possit ferre istud malum, implorare debet opem Magistratus, Ministrorum Ecclesiæ, & cognatorum parentis. Illi dehortabuntur patrem ab illa *aisopica*. Magistratus etiam in tales parentes animaduertere poterit.

Sia

Sin verò nihil effecerint, filius, (cui videtur ex hoc coniugio præsentissimum (etiam animæ) periculum imminere, præsertim si sponsa non sit veræ Religioni dedita) in alienam regionem concedere poterit ad tempus: sicut infirmi olim fugiebant à Tyrannis. Elias ab Achabo, & Vrias à Ioaikimo. 1. Reg. 18. Jerem. 26.

Vbi autem semel consenserint liberi in nuptias à parentibus ipsis obtrusas, licet inuiti id fecerint, non poterunt tamen postmodum repugnare. Luthero ita iudicante, in Libello de Causis Matrimonialibus, Tom. 5. Ihen. germ. Vide etiam Tom. 2. Ien. germ. fol. 443.

Ne verò hoc arripiant Iuvenes, & honestissimas etiam nuptias à parentibus oblatas pertinaciter respuant, notandum: Nō posse liberos quosuis oblatos coniuges detrectare, sed requiri, vt obediant parentibus, iusta & æqua præcipientibus. Quòd si sint refractarii & inobedientes, & Magistratus & parentes coercere illorum petulantiam possunt, ne liceat illis impunè parentum mandata contemnere.

Non recusat Isaacus Rebecca nuptias, à patre procuratas, licet ille nunquam viderit, vel prius alloquutus fuerit sponsam, quàm adduceretur illa à seruo patris. Gen. 24.

In omnibus enim obediendum parentibus, quæ non pugnant cum verbo Dei. Hoc est honorare parentes.

QVÆSTIO IV.

*De consensu curatorum & propin-
quorum.*

Requirit ordinatio nostra matrimonialis non tantum consensum parentum, sed iis defunctis etiam propinquorum & curatorum.

Quamvis enim non per omnia sit par ratio parentum & curatorum, (ideoque suo modo, quantum scilicet Iura permittunt illorum consensum cum parentum consensu coniungit ordinatio) atque propinquorum: Certum tamen est, quarto præcepto præcipi honorem, non tantum patri, & matri, (qui liberos genuerunt) sed & iis habendum, qui parentum loco sunt: (sicut etiam in hoc casu Lutherus iudicavit) ut sunt Curatores, Tutores, Consanguinei & quicumque alii, qui hac vita functis parentibus paterna planè præstant officia.

Sicut autem Magistratus loco Dei in terris, sunt constituti, ad regēdos subditos (propterea nomen Deorum sortiuntur, Ps. 82. v. 6.) Ita, qui parentum loco præficiuntur liberis, diuino planè officio funguntur: Cum Deus etiam ipse nominetur pater Orphanorum & Iudex viduarum, Psalm. 68. vers. 6. hoc vero officio in terris per illos Curatores atque Tutores defungi velit. Cuius sæpè admonendi pupilli.

Ergo si Curatores atque Propinqui dissentiant, sui etiam *dissensus habeant iustas, graues & releuan-*

releuantes causas, certè non exigua erit illorum
 authoritas, vt possint impedire matrimonium,
 insciis atque inuis illis, vel à pupillis vel adul-
 tis, contractum. Præsertim si potestati illorum
 sese (vt debent) spontè subiiciant hi, quibus il-
 li præfecti sunt. Et hoc ab illis requirit ordina-
 tio nostra. Itaque non rarò pro Tutoribus, Cu-
 ratoribus & propinquis pronuntiari solet sen-
 tentia, contra clancularios illos contrahentes.
 Et id quidem mediàte ordinatione sæpè dicta.
 Adultiorum verò matrimonia cum personis
 honestis, & si illi reluctentur, nec vitricus vel
 nouerca, nec propinqui, nec curatores vel tu-
 tores, (& hi quidem minùs, quàm propinqui)
 impedire possunt. Quia propter priuatum cõ-
 modum (vt illi interim possint vti bonis illo-
 rum,) diutiùs differre possent matrimoniù: Si
 perpetua esset, & absoluta illorum potestas.

C A P V T II.

De Sponsaliis & promissionibus eo-
 rum, qui sui iuris, & non sub patria
 potestate sunt. i

Q V Æ S T I O I.

*De promissionibus, vel sponsaliis (vt vocan-
 tur) clandestinis.*

I. **P**lè & sapienter constitutum est, in Ordina-
 tione Wirtembergica Matrimoniali,
 vt legitimè non tantùm ab his, qui sub patria
 potestate sunt, sed etiam ab aliis, & omnibus in
 genere.

genere, contrahatur matrimonium. Cùm enim coniugium *res* sit sacrosancta, debet etiam honestè & sanctè tractari. Ideoquè reiiciuntur promissiones clàm factæ, absque testibus duobus ad minimum, honestis & fide dignis. Quæ enim honesta sunt, publicè debent tractari: non in angulis. Qui verò malè agit, fugit lucem.

Hinc rectè fit, quòd, si vna pars prætendat matrimonii promissionem, illam verò probare nō possit (duobus vel tribus omni exceptione maiorib. testibus) altera pars accusata mox absolvitur. Idq; fit iuxta communem regulam, *Actore, (vel Actrice) nō probante re^a absolvitur.*

Ne igitur in salutari suo (hoc est, in probationibus) deficiat hæc vel illa pars contrahentium, necesse est, vt legitimè coram hominibus honestis fiant promissiones Matrimoniales.

Hinc Lutherus etiam concludit, clandestinas promissiones planè nihili esse faciendas. Idque septem adductis rationibus probat. Tom. 5. Ien. germ. fol. 339. Quarum sunt hæc præcipuè.

1. Coniugium vitæ genus honestum publicè debere tractari.

2. Iura & Canones prohibere clandestina sponsalia.

3. Idem velle leges antiquas Mosaicas. [Olim enim in publico & in portis de coniugio fuisse tractatum, docent leges & historiæ. Vt patet ex Deut. 25. vers. 7. Ex Ruth. 4. vers. 2.]

4. Mul-

4. Multa sequutura essent incommoda, si concederentur clandestina sponsalia.

Legatur illud scriptum Lutheri aculeatum de clandestinis promissionibus, Tom. 7. Ien. germ. 378. b. contra consistoriales Witebergenes.

Illud etiam ad I. Caput huius libelli pertinet.

Nihil itaq; proderunt talia sponsalia & promissiones clam factæ. Et notandum, quia hæc expressè sunt prohibita nostratibus, ideoq; nõ opus esse, vt altera pars iuramento interposito testetur, promissionem factam vel non factam esse. Propter leuitatem enim hominum insignem, innumerabilia essent periuria. Satis igitur est simpliciter prohibita esse clandestina sponsalia: vt nemo possit conqueri, sibi factam iniuriam, & non seruata fidem. Quare enim non adhibuit testes?

II. Nec copula carnalis, (si accesserit) matrimonii promissionem clam factam quicquam iuuat, si altera pars neget promissionem, licet commixtionem carnalem palam fateatur. Valet enim hic Regula illa, consensus non concubitus facit nuptias. Causa cadunt itaque, quotquot carnali copula interueniente, promissionem matrimonii non probatam, volunt fulcire. Cautius ergo mercari discant. Pœnas verò illegitimi concubitus dant meritò. Infamiam quoq; inde contractã sibi imputabunt.

III. Quòd verò hodie apud nos non obserua-

serua-

feruatur antiqua illa regula, aut ducat, aut do-
 ter. & lex illa Mosaica, Deut. 22. vbi præcipitur,
 vt stuprator ducat vitiatam, hæc causa est, quòd
 in tanta malitia (præsertim puellarum) metus
 sit, si propter copulam carnalem interuenien-
 tem sciant se ducendas à stupratoribus, ne il-
 læ obuiis quibusque iuuenibus sese turpissimè
 prostituant, & occasionem peccandi præbeant
 etiam honestissimis, &c.

IV. Notandum autem, quòd clandestini-
 tas, tùm non vitiet matrimonium, si vterque
 post promissionem factam ratam habeat, vt pa-
 lùm confiteatur, se (licèt clàm) contraxisse, &
 si lis hac de re non oriatur. Hæc enim, quæ di-
 ximus tùm valent, cùm lis orta est, & altera pars
 promissionem negauit.

Q V Æ S T I O II.

*Vtrum & quomodo publica sponsalia præfe-
 rantur clandestinis.*

I. **N**ON rarò accidit, vt homo aliquis leuicu-
 lus, duabus fidem matrimonii det: alteri
 quidem clàm, alteri verò publicè. Hoc casu
 quæritur, vtrum valeat priùs facta promissio
 clancularia, quam postea fatetur reus, an verò
 posterior promissio locum habeat? videtur e-
 nim posteriori non potuisse quicquam pro-
 mittere, cum priori fidem matrimonii dederit:
 alioquin bigamus erit. At si res est adhuc inte-
 gra,

gra,

gra, semper publica sponsalia præferenda sunt clandestinis. Hæc enim sunt expressè prohibita, illa verò præcepta. Hæc etiam est sententia Lutheri in libello, von Chesachen. Tom. 5 germ. Ien. fol. 237.

II. Quòd si verò res non est integra, & ad primam, licèt clandestinam, promissionem accedat copula carnalis, sentit idem Lutherus, tùm ducendam eam, cum qua carnaliter facta est commixtio. Idque iuxta legem Deut. 22. supra allegatam.

Et hoc quidem hodie apud nos obseruatur, hac tamen conditione: si fateatur is promissionem (licèt clanculùm factam) aut de ea sit conuictus, qui carnaliter cognouit illam, cum qua matrimonium clanculùm contraxit.

Quòd si verò is neget factam promissionem (licèt fateatur concubitum) nec possit conuinci, aut promissio facta probari, tùm absoluitur: & non impediuntur amplius sponsalia publica, & honestè atque legitimè facta promissio.

III. Quòd si verò duabus fides matrimonii esset data, & vtraque promissio facta publicè, atque solennia sponsalia bis essent celebrata, hoc casu priorem ducere tenetur. Cùm enim illi primùm data sit fides matrimonii, non potuit alteram superinducere. Qui n. habet sponsam sponsus est. Ioan. 3. Ideò simul duas spon-
 fas habere non potest. Grauißima autem his est

C consti-

constituta pœna, in nostra ordinatione illa altera, quę de pœnis facit mentionem: Carceres, infamia, &c.

Reputatur enim hoc *suo modo* pro bigamia. Et sanè secundum scripturam, ea, quę desponsata est *viro*, (si maximè matrimonium non sit consummatum) vocatur coniunx. Quod patet exemplo Marię Matth. i. versicul. 20. vbi dicitur Iosepho, ne timeas accipere *uxorem* tuam.

Idem vult lex, Deut. 22. Quę eadem pœna punit scortationem cum desponsata, qua puni-
tur adulterium.

Caueant igitur iuvenes & virgines, ne temerè promittant duabus personis matrimonium: si euitare velint infamiam & pœnas grauissimas.

IV. Tandem, si quis duabus fidem dedit, & cum posteriori fuit cõmixtus carnaliter, adulterium sponsi commisit. Sicque prior vbi separationem petit, facilè impetrat. At si illa cum adultero velit viuere, & matrimonium semel promissum consummare, non potest posterior, quę cum adultero concubuit, quicquam præterdere, quod faciat pro matrimonio ipsius. Vel enim sciuit illum prius fidem dedisse alteri: & tunc grauius peccauit. Vel si nesciuit, non tamè debuit concumbere cum illo. Non enim à coitu inchoandum matrimonium. Grauius tamen puniri debet, qui hoc pacto facinus indignum

dignum sponso committit : sicut sanè olim
Lex. Deut. 22. fuit seuerissima.

QVÆSTIO III.

*Vtrum Magistratus cogere possit ad consum-
mandum matrimonium eos, qui de promiss-
sione matrimonii facta sunt
conuicti.*

Accidit in hac mundi peruersitate non ra-
rò, vt is qui purè & simpliciter, adhibitis
etiam testibus, adeoq; legitimè & solènter, fi-
dem dedit alteri: tamen postea promissionem
factam neget: Et tùm demum necesse habeat
audit'is testibus conuinci de matrimonio legi-
timè contracto. Hoc casu pronuntiatur à Con-
sistorialibus hæc sentètia: quòd inter ipsos iam
sit matrimonium, (consensus enim facit nu-
ptias) & quòd conuictus teneatur matrimo-
nium legitimè consummare, facta publica &
solenni confirmatione in templo.

At multorum tamen tanta est pertinacia &
contumacia, vt nihilominùs reculent ducere
illas, quibus promiserunt matrimonium, de
quo sunt conuicti. Hic quæritur quid facien-
dum? Cùm vna pars contrahentium non pos-
sit alteram vi cogere ad cohabitandum, & ad
consummandum matrimonium probatum, &
sententia iudicis cõfirmatum. Hoc casu solet id

C 2 obser-

obseruari, vt post latam sententiam, conuictus mox stipulata manu in præsentia iudicum fidem dare cogatur, se consummaturum matrimonium, vt decet.

Quòd si perfidus, sententiam iudicis contempserit, nec fecerit, quod promisit, tunc Magistratus ipsum (de voluntate iudicum, quorum sententia iam transit in rem iudicatam, quæ lata est pro Matrimonio) carceri mancipat tamdiu, vsq; dum promittat se exequuturum, id, quod illi fuit iniunctum, & de quo iam fidem dedit coram iudice.

Observatum id sæpiùs, & Stutgardia quidem N. sponsus ex carcere deductus fuit ad Templum, vt matrimonium, de quo conuictus erat, coram Ecclesia publicè confirmaretur, Anno 1603. 24. Maii. Cùm verò reluctaretur, nec copulari vellet, ex templo in carcerem reductus, ibique ad 1. Iunii detentus, vbi denuò ad templum ipso deducto, tandem confirmatæ sunt nuptiæ, &c.

Licet autem hoc admodum graue, & durū videatur, cùm matrimonia debeant esse libera & spontanea, tamen Magistratus, qui est defensor Ordinationis Diuinæ, coniugii sc. rectè facit, quòd contumaces carceribus & aliis pœnis coercet.

Sic enim non coguntur inuiti ad matrimonium contrahendum, sed ad contractum legitime consummandum. Neque enim illis licet contra-

contra-

contractum honestum & legitimum rescinde-
re: ideoque Magistratus tuetur coniugium, &
ne vlla parte violetur, curat.

Et digna carcere est illa perfidia, quòd non
seruant id, de quo fidem dederunt. Accedit cõ-
temptus Magistratus qui non est ferendus. A-
lioquin hoc in consuetudinem facilè abierit,
vt qui hodie matrimonium contraxit, cras id-
ipsum propria voluntate rescindat, &c. Neque
enim propter contumaciam & peruersitatem
cordis, possunt separari, qui legitima facta pro-
missione semel sunt coniuncti. Consensus nu-
ptias facit & coniungit. Homo itaque non se-
paret. Matthæi 19.

C A P V T III.

De gradibus consanguinitatis, & affi-
nitatis.

Huiuscapitis duæ erunt partes. Primum e-
nim dicendum erit de his gradibus, qui lege di-
uina sunt prohibiti & consanguinitatis & affi-
nitatis ratione.

Deinde etiam dicendum erit de his, qui iu-
re tantum statuario & Municipali, in ordi-
natione nostra sunt prohibiti. Et in quibus dis-
pensatio locum habeat vel non.

I. Pars Capitis III.

De gradibus lege diuina prohibitis.

DE gradibus cognationū lege diuina pro-
hibitis, multi & Theologorum & Iure-

consultorum extant eruditi Tractatus, & nonnulli etiam prolixi Commentarii. Quia verò simpliciorum habenda est ratio, placuit rem istam quàm breuissimè & planissimè proponere. Neque enim hoc loco Regulas, quæ prope modum infinitæ dari possent, in medium afferre placuit, cum quæ maximè sunt insignes & notabiles in locis cõmunibus D. D. Chemniti atque etiam Enchiridio D. D. Matthiæ Hafrenfferi fratris & affinis mei honorandi atq; charissimi eleganter & perspicuè sint traditæ. Et quia hi libri iam in omnium manibus passim versantur, breuitatis causa illas hic omitendas regulas censeo.

Extat autem prohibitio illa legis diuina Leuit. 18. & 20. Quia verò ibi à Mose gradus consanguinitatis & affinitatis coniunctim ponuntur, nolui illos separatim sed coniunctim in tabella proponere, sexus tantùm differentia, (vt res magis fiat perspicua) seruata.

Lectorem autem ad Textum Leuitici remitto: vbi 16. personæ numerantur quibus matrimonio interdicitur: scilicet 1. Mater. 2. Nouerca. 3. Soror ex vtroque parente. 4. Soror ex altero tantùm parente. 5. Neptis ex filio. 6. Neptis ex filia. 7. Soror patris. Amita. 8. Soror matris. Matertera. 9. Vxor patru. 10. Vxor filii. Nurus. 11. Vxor fratris. 12. Vxor mater. 13. Priuigna. 14. Filia priuigni. 15. Filia priuignæ. 16. Soror vxoris.

Hic

Hic primo omnium notandum, non tantum illis personis quæ ibi nominatenus exprimuntur, sed & omnibus qui eodem gradu (etiam sexu inuerso) cognati sunt prohiberi matrimonium.

Quòd enim de viris præcipitur illud omnino etiam de mulieribus in eodem gradu intelligendum est. & vicissim.

Rectè enim Brentius statuit, Mosen tantum scripsisse Epitomen consanguinitatis & affinitatis, & reliquisse naturali rationi ex his personis, quas nominatim recenset, alias personas, quæ & ipsæ naturali lege prohibitæ sunt, intelligendas.

Item quòd Moses interdum posuerit masculum pro trunco, (vt vocant) & tamen vtrumque sexum intelligat. Quia vir caput mulieris est.

Constat ergò plures gradus lege diuina prohibitos, quàm iuxta literam apparent.

Vt autem faciliùs intelligantur, quinam sint illi gradus, subiicere volui tanquam in Catalogo & Schemate omnes lege diuina prohibitos gradus.

C A G R A-

GRADVS EX LEGE

diuina prohibiti.

EX PARTE VIRI.

	{	Matrem.	
		Filiam.	
		Nouercam.	
		Priuignam, vel filiam vxoris.	
		Sororem ex vno vinculo.	
		Sororem germanam.	
		Filii filiam.	} Neptes.
		Filiae filiam.	
		Auiam.	
		Sororem patris. Amitam.	
		Sororem matris. Materteram.	
Vir non ducat in vxorem	}	Filiam fratris.	
		Filiam sororis.	
		Patru vxorem.	
		Auunculi vxorem.	
		Filiam fratris vxoris, vel Fratris.	
		Filiam sororis vxoris.	
		Vxorem filii.	
		Socrum.	
		Vxorem fratris. Fratris.	
		Vxoris sororem.	
		Filiam filii vxoris. Priuigni filiam.	
		Filiam filiae vxoris: Priuignae filiam.	
		Vxorem Aui.	

GRA-

GRADVS EX LEGE
diuina prohibiti.

EX PARTE VXORIS.

- Patrem.
- Filium.
- Vitricum.
- Priuignum.
- Fratrem ex vno vinculo, vel vterinum
vel consanguineum.
- Fratrem germanum.
- Filium filii. } Nepotes.
- Filium filia. }
- Auum.
- Patruum.
- Auunculum.
- Filium fratris.
- Filium sororis.
- Amitæ (vel sororis patris) maritum.
- Materteræ (vel sororis matris) mari-
tum.
- Fratris mariti (qui Leuir dicitur) fi-
lium.
- Sororis mariti (quæ glos appellatur)
filium.
- Generum. Filia maritum.
- Socerum. Mariti patrem.
- Maritum sororis. Sororium.
- Mariti fratrem. Leuir dicitur.
- Mariti filii filium, hoc est, priuigni fi-
lium.
- Mariti filia filium, hoc est, priuigna
filium.
- Auia filium.

Vxor non du-
cat in matri-
monium

Quia verò quantum ad hos gradus attinet, non eadem omnium Theologorum atque Iureconsultorum est sententia, ideoque hoc loco, antequam ad sequentia pergamus, duæ quæstiones nonnihil difficiles explicandæ erunt; an videlicet in nouo Testamento etiam graduum Mosaica prohibitio illa locum habeat: & vtrum personæ tantum lege Mosis expressæ, an verò gradus cognationis numerari debeant.

De his breuiter non nostram, sed præstantissimorum Theologorum sententiam in medium afferemus. Est igitur hæc huius capituli.

Q V Æ S T I O II.

An gradus cognationum lege Mosaica prohibiti etiam possint aut debeant obligare Christianos, in Nouo Testamento.

HOc loco diuersum nonnulli (partim Theologi, partim Iureconsulti) statuunt.

Quia cum Politia Mosaica abrogata sit, in Nouo Testamento, Ordinationem coniugii cum cæteris Leuiticis Ordinationibus (vtpotè ciborum discrimine, & aliis, non minus feruissimè mandatis quàm sunt leges coniugii) concidisse existimant.

Et quia nos non sub Politia Mosaica, sed
sub

sub Imperio Roman. viuimus, videntur leges illæ Mosaicæ nos non ligare.

Ideoque non desunt, qui apertè hoc statuunt, prohibitiones Mosaicas pertinere ad ius posituum, & tantum obligare populum Israelitarum.

Respondet his Brentius super 18. capit. Leuit. Ea abrogata sunt, quæ propriè sunt Leuitica, quæve propria fuerunt Politicæ Mosaicæ. Quæ autem sunt naturalia, perpetua sunt & immutabilia. Ideoque nec Decalogus abrogatus est: quia continet legem Naturæ, & indicat qui sint veri fructus fidei.

Idem sentiendum affirmat de discrimine personarum, in contrahendis nuptiis.

Hoc enim discrimen obseruandum est, non quia Israelitæ id obseruarunt, sed quia lex Naturæ exigit obseruationem huius discriminis.

Cum Brentio Theologi & Iuræconsulti plerique sentiunt, paucis exceptis. Et rationes huius sententiæ plures atque euidentes adducit Chemnitius de Coniugio pagin. 543. & seq.

Hinc concludit Brentius, quòd inter eas personas, de quibus Moses & leges Romanæ conueniunt, nuptiæ naturali iure consistere non possint.

QVÆSTIO III.

An tantum personis illis sedecim, quæ Leuit. 18. enumerantur, nuptiæ sint prohibitiæ, an verò illa prohibitio etiam ad reliquas personas sit extendenda.

R Esp. Ipse D. Ambrosius aduersus magnum quendam virum, Paternum, (prætendentem, quod Lex Leuit. 18. non expressè prohiberet: nuptias fratris cum filia sororis, quos ipse volebat coniungere) hoc vrget, prohibitiones Leuit. 18. non tantum ad personas sed ad gradus referri debere. Quia inquit, non expressè prohibitum est, ne pater ducat filiam suam: & tamen prohibitum hoc esse neminem dubitare.

Et certè si nulla alia esset ratio præter hanc, satis euidenter tamen posset probari, omnes pari gradu distantes esse prohibitos, si maximè nominatim non exprimantur.

Etenim non ad verbum prohibetur pater, vt non ducat filiam: nec mater vt non nubat filio.

Sic etiam liceret nepoti ducere auia. Quod quam sibi absurdum nemo est qui nesciat.

Certè si absque affectu, & personarum respectu, ad hanc quæstionem liceat respondere, non tantum habebit illa difficultatis.

Fuit quidem D. Lutherus primis annis videlicet

delicet An. 1522. & 1530. in hac sententia non gradus esse numerandos (sicut faciunt Iureconfulti) sed tantum personas lege Mosaica nominatim expressas.

Et hoc quidem in primis suis scriptis de causis Matrimonialibus asseruit. Tom. 2. & 5. Ien. german. Fuit autem D. Lutherus in hanc sententiam pertractus exemplis Patriarcharum, & in primis Abrahami, ducentis Saram, quæ scribitur fuisse filia fratris Abrahami.

De quo tamen ipse post, in Comment. super cap. 20. Genes. dubitavit: vt mox sequetur suo loco.

Et sunt sanè multa exempla in matrimoniis patrum, quæ ad scriptas regulas diuinitus traditas non congruunt. Sed non exemplis veram legibus iudicandum esse vetus est regula. Et Cyprianus inquit: Non videndum quid hic vel ille etiam ex sanctis fecerit, sed quid Deus in verbo patefacto fieri iusserit vel prohibuerit. Et Christus ipse de diuortiis inquit, Ab initio non erat sic. Philippus dicit, Non quærendam quomodo possint excusari patres. Quia nec sancti sine vitiis sint.

Ad istud Patriarcharum exemplum respondet Brentius hoc modo. Etsi Patriarchæ quædam contraxerunt nuptias cum aliquibus personis, in lege Mosi prohibitis: Nam Abraham duxit Saram, quam scribunt fuisse filiam fratris Abrahami in uxorem: & Iacobus dua so-
pres

res simul habuit in vxores. Attamen hæc heroica exempla, quæ Deus suo quodam consilio vel approbavit vel toleravit, vt non sunt temerè contemnenda, ita nec sunt imitanda: sed manendum nobis in obedientia Iuris Naturalis.

Huc pertinent etiam illa, quæ scripsit Iureconsultus Brunsvicensis D. Winoldus Molradus in Tract. de Matrimonio, mihi fol. 76. Sanè initio orbis conditi fratres & sorores matrimonio iungebantur, cùm deessent aliæ personæ, & necesse esset genus humanum propagari.

Sed id factum (vt rectè Augustinus, de ciuit. Dei libr. 15. cap. 18. inquit) quanto est antiquius compellente necessitate, tantò factum est postea damnabilius religione prohibente. Cùm enim iuberet Deus propagari genus humanum, nec plures simul feeminas condidisset, satis intelligitur hanc ipsius fuisse voluntatem, vt fratri ex sorore sobolem tollere fas esset, quod postea docuit ipsa natura, non licere. Hactenus ille.

Porrò quòd authoritatem Lutheri attinet, ad illam respondet clarissimus Theologus, D. Martinus Chemnitius in 3. parte Locorū Com. in loco de coniugio, mihi fol. 549. Exemplari in 8.

Si autem habent verba Chemnitii: Disputant moderni Iudæi quæcunque personæ non sint

sint expressæ, earum nuptias non esse prohibitas.

Et quidē Lutherus in primo scripto de coniugio idem concedit, quia non gradus, sed personas numerat. Post aliquot tamen annos id reuocat, & reducit has prohibitiones ad certos gradus.

Nam si tantūm personæ respiciendæ essent, sequeretur nepotem posse ducere auiam, quia non nominatim prohibetur. Cū tamen illud manifestè sit sceleratum.

Ergò hoc probè obseruetur, quod Leuit. 18. non tantum illæ personæ prohibeantur, quæ nominatim ibi exprimuntur: sed & omnes qui in eodem pari seu æquali gradu sunt.

Et ostendendum est, quomodo nominatio illarum personarum Leuit. 18. ad certos gradus redigi possit.

Et huius fundamentum monstratur in illa sententia Leuit. 18. quæ vers. 6. & prohibitionibus illis diuinis præmittitur. Scilicet, Omnis homo ad proximum sanguinis sui vel carnis suæ non accedat.

Quàm sententiam quidem Pontifices malè intellexerunt, ab omnibus scilicet consanguineis quousque cognatio cognosci potest abstinendum. *Causa 35. quæst. 4.*

Haftenus Chemnitius. Qui vult plura, legat ibi.

Lutherus sanè in Commentario super Genesin,

nesin, quem multis annis post (videlicet Anno 44) scripsit, videns priorem suam sententiam infirmo niti fundamento, de Matrimonio Saræ, diuersum statuit: sic scribens Tom. 6. Witeberg. Lat. mihi fol. C L V I I. super caput Genes. 20.

Hic quæstio est quomodo Abraham dicat Saram filiam sui patris Thare? Nam Moses hoc clarè ponit, Thare habuisse tres filios, Nahor, Haran & Abraham, & ex Haran natum Loth: Loth autem fuisse fratrem Saræ.

De Sara autem non dicit, quòd nata sit ex Haran, nisi fortè binominem fuisse fingas & suprà cap. 12. appellari Iessam. Sed hoc cum paulò durius sit, proximum est, vt statuamus fuisse priuignam Haran, qui siquidem mortuus est ante patrem Thare, Sara in domum Thare translata, atque ibi educata est, atque inde vocata Thare filia, vt neque naturalis neque legitima Haran filia fuerit, sed cum nuptiis viduæ adscita. Atque si hanc sententiam sequimur, præcisa iam est disputatio, an potuerit Abraham fratris filiam ducere. Nam fratris priuignam ducere lege non est prohibitum. Hæc Lutherus.

Hinc patet Lutherum id ipsum, quo antea pro fundamēto vsus fuerat, iam mutasse: quod scilicet Abrahamus duxerit filiam fratris.

Brentius super Leuit. 18. sic habet, An hæ tantum personæ, quas Moses nominatim recēset, non

non possunt inter se nuptias contrahere? Ergone licebit Isaco iuxta Mosen ducere vel auiam vel socrum, vel proneptem suam in vxorem, quia nulla fit harum mentio apud Mosen?

Et quid de patruo aut auunculo aut genero aut focero? Num licebit Rebecca hisce nubere? Minimè omnium. Mose enim scripsit tantum Epitomen Consanguinitatis aut Affinitatis, ac reliquit naturali rationi alias personas, &c. vt supra in I. quæstione iam hæc verba sunt allegata.

[Hinc Chemnitius, in prohibitione non attenditur discrimen sexus. Et, per inuersionem ex reciproco inter coniuges respectu, mulier quam ego non possum ducere, illa etiam mihi non potest nubere.]

Plura vide apud Brentium post fol. 843. vbi in specie recenset quomodo conueniant ius ciuile & leges Mosis, & quas personas Moses nominatim non expresserit.

Brentium sequutus Osiander, idem statuit, nō tantum ab illis personis abstinendum, quarum expresse fiat mentio à Mose, sed etiam ab iis, qui pari gradu distant.

Sed & Clarissimus ille Ictus Ioach. Beuthius in suo Tractatu, mihi fol. 196, allegata autoritate Andreæ Osiandri senioris (pastoris Norimbergensis) eandem tuetur sententiam, & sophisticam esse demonstrat, tantum

D perso-

personas, non autem gradus numerare. Et tenenda est illa regula: Vbi est par gradus, ibi est eadem ratio & similis constitutio. Vbi eadem ratio, ibi idem ius.

QVÆSTIO IV.

An liceat ducere filiam sororis uxoris defunctæ, aut simili gradu cognatam?


SÆpius proposita fuit hæc quæstio, quia plurimi non credunt, hunc gradum lege diuina prohibitum.

Responsum simpliciter à Theologis 19. Octobr. An. 99. & sæpius, quòd non liceat coniungi in hoc gradu. Et potest hic casus ex præcedentibus facile decidi. Quamuis enim sint, qui existiment hunc gradum lege diuina non esse prohibitum, contrarium tamen ex subiecto schemate facile patet, ex quo plures quoque consimiles gradus possunt iudicari.

Leuit. 18. & 20. prohibitum est: Turpitudinem patruui tui non reuelabis. Nec accedas ad uxorem eius. Quia cognata vel affinis tua est. Estque hic gradus.



Planè similis est gradus, si vertatur sexus. Turpitudinem materteræ tuæ (Leuit. 20.) non revelabis, vt accedas ad maritum eius. Quia cognatus vel affinis tibi est.



Et notandum ex Leuit. 20. quòd tales Deus punire velit ἀτεχνία Absque liberis morientur.

Allegatur in contrarium, hoc casu, auctoritas D. Lutheri, qui supradicto Tractatu permiserit ducere vxoris defunctæ sororem: Atqui ex supradictis manifestum est, quam ob causam hoc non possit habere locum.

Quia falso præsupposito de Sara nitebatur.


Hinc Basilius Monuerus Iureconsultus Ienensis in suo Tractatu de Matrimonio sic scribit, part. 4. cap. 2. Etsi D. D. Lutherus olim Anno 1522. senserit iure diuino licere ducere vxoris vel sponsæ defunctæ sororem, postea tamen sententiam istam meritò correxit.

Et in eadem sententia est etiam Schneidevvinus Ictus, quod hic gradus de filia sor-

D 2 ris vxor-

ris vxoris (seu filia gloris vocatur à nonnullis)
fit prohibitus lege diuina.

Quin imò etiam remotiores gradus, ex vna
linea, prohibitos esse statuimus, vt ne quidem
defunctæ vxoris sororis neptem aut prone-
ptem ducere liceat.




Et notatur hoc casu regula illa: Cuius fi-
liam ducere non licet, neque eius neptem per-
mittitur.

Pertinet huc quoq; altera illa regula: Quan-
do ex vna parte primus gradus est, omni ma-
trimonio interdictum esse collateralis.

Adeò vt nec fratris, vel sororis, nec quoque
sororis vxoris abneptem vel atneptem etiam
ducere liceat.

Valet

Valet enim hæc regula tam in affinitatis, quam in consanguinitatis gradibus, ideoque patruus magni viduam ducere Iacobo N. Anno 94. 29. Aug. non fuit concessum. Estque hic casus idem cum superiori.




Itaque Walpurgæ non tantum filio fratris prioris mariti Michaeli nubere cupienti id negatum est, Anno 1601. 16. Aprilis.

D 3 Kbi

DE CAUSIS


Vibitalis est Cognatio.



Sic & multis aliis in hoc casu matrimonium prohibutum N. Anno 67. 5. Decemb. & 72. 13. Martii.

Verum etiam remotiori gradu coniugium non est permiffum, cum nepte sororis vxoris defunctæ: in hoc casu :

Neptis



Mattheus.

Anno 1604. 1. Nouembris.

Sunt autem qui diuersum statuunt: videlicet regulam illam, [cuius filiam ducere non licet, eius nec neptem permittitur: sic etiam sequentem modò allegatam] tantùm pertinere ad cōsanguineos non ad affines: quia in illis nullus sit respectus, tanquam ad parentes.

Sed contrarium rursus alii defendunt fortius. Et videtur illa regula indefinitè posita, in his casibus, tam ad affines quàm ad consanguineos extendi posse: propter eam reuerentiam,

quæ in primo gradu debetur etiam affini, propter cognatum proximum.

Ideoque patruï vxor etiam prohibetur, propter patruum, cum quo facta est vna caro: adeoque est loco amitæ.

Et eandem ob causam ab vxore auunculi abstinendum, quia illa cum vxore patruï est in pari gradu.

Et huc maximè pertinent verba Modestini I Cei, dicentis, Nefas esse, hos qui affinitatis causa parentum liberorumque loco habentur, inter se matrimonio copulari.

Ratio itaque huius prohibitionis est hæc potissimum: quia superiores in primo gradu vnus lineæ, sunt cæteris descendentibus, in altera linea, loco parentum.

Ideoque propter reuerentiam illam non licet inferioribus, vtriusque sexus, ducere eos, qui ex altera parte in primo gradu vel consanguinitatis vel affinitatis existunt.

Tractantur hæc ab aliis copiosè. Chemnitius in tertia parte locorum Theologicorum, in loco de coniugio, cap 3. parte 2. lege 5. pag. 562. id explicat hisce verbis: Postremò vnus peculiaris & notabilis casus extat in iure ciuili, qui in lege diuina tam exprefè non ponitur, quando scilicet in linea transfuersali coniugia prohibentur, non ratione graduum, sed idè, quia personæ sunt loco parentum & liberorù, vt quando in vno latere est frater, vel soror in primo

primo gradu à stipite, in altero latere sunt posterii descendentes, ab altero fratre seu sorore, illi inter se sunt parentum atque liberorum loco, atque ideò prohibetur inter ipsos coniugium, eadem ratione sicut in linea recta.

Et ratio est quod de fratribus & sororibus scriptum est Gen. 37. v. 27. Frater noster & caro nostra est.

Hemmingius quoq; in lib. de coniugio non tantùm eandem tuetur sententiam, sed etiam explicat qui nam in ordine parentum & qui in numero liberorum sint habendi, sic scribens: In ordine parentum sunt, & qui sunt iuxta parètes, seu ad latera parentũ transuersa & æquali linea, & qui sunt recta linea supra parentes. Ad latera quidem patris mei sunt patruus & amita, matris verò auunculus & matertera, suprà verò parentes sunt patris & matris respectu, auus, auia, proauus, proauia, abauus, abauia. De his tradunt regulam: prohibitio ascendentium & descendentium in recta linea est perpetua.

In ordine filiorum sunt omnes, qui sunt in eadem linea descendente, hoc est, omnes, qui recta linea à stipite descendunt, item omnes, qui à fratre meo & sorore mea nascuntur. Nam ego, frater meus & soror, vna caro sumus.

Similiter in transuersa linea ab amita & matertera sursum ascendendo, perpetua quoque est prohibitio. Amita enim est & matertera cæteræque deinde personæ ascendentes cum ne-

potibus aliisque descendentes comparatae, eorum parentum, quibus æquali linea transuersa adiunguntur, vicem obtinent, id quod in patruelibus, amitinis & consobrinis nullum locum habet.

Similiter descendendo à fratris & sororis filia perpetua est prohibitio, quia comparatae inter se, parentum & filiorum vice funguntur.

Quare laudandus est Paulus Iurifconsultus, qui tempore Alexandri Imperatoris vixit, qui ius gentium esse docet hanc, de qua loquimur, prohibitionem. Sororis, inquit, proneptem nō possum vxorem ducere, quoniam parentis loco illi sum. Est enim prohibitio vniuersalis, non solum inter ascendentes & descendentes, in recta linea, verum etiam in transuersis lineis, inter eos qui parentum & liberorum loco sunt.

Hactenus Hemmingius, in libello de coniugio. fol. 72. &c.

Q V Æ S T I O V.

Utrum Dispensatio supremi Magistratus locum habeat in gradibus lege diuina prohibitis.

Respondetur; Minimè hoc fieri posse, à quoquam.

Con-

Contra diuinam legem enim nulla authoritas humana quidquam potest statuere. Exprefsit autem Dominus in Leuitico, quæ fit immota sua voluntas, ad quam omnes homines velit obligare.

Quodque huius transgressionem in omnibus gentibus Chananæis, imò illorum quoque Regibus feueriffimè puniturus fit: Videatur Leuit. 18. ver. 24. & feqq. Et id factum est, vt hiftoria Iofuæ docet.

Neque hoc etiam pii Magistratus vnquam facere tentant. Quod verò ab aliis interdum dolosè inducuntur & circumueniuntur, qui ipsis perfuadent, nullam esse legis diuinæ prohibitionem, in hoc vel illo casu, id ipsis minimè, sed prauis illis confiliariis tribuendum est.

Qui etiam aliquando grauem Deo rationem sunt reddituri, propter illam malitiam.

Quòd si verò vel inſciis Magistratibus in tali vel ſimili casu Matrimonium contractum: aut à Magistratibus malè informatis aut dolosè inductis, iſtud permiſſum fuerit: non poterunt poſt conſummatum Matrimonium aut celebratas nuptias tales coniuges dirimi. Quia ſcandalum maius inde poſteà naſceretur, & conſcientiæ coniugum grauiffimè læderentur.

Et valet hîc etiam illud, Multa ſunt quæ Matrimonium contrahendum impediunt, contra-

contractum autem non dirimunt: sicut regula illa vsitata, rectè dicitur.

Quamuis autem multi sunt qui impetratis talibus nuptiis sibiipsis blandiuntur ad tempus, & quasi re benè gesta de illis gloriantur, atque multum gaudent: Certum tamen est, quod hac ratione & conscientiis suis, & posteritati admodum malè, imò verò pessimè consuluerint, dum scientes atque volentes Matrimonium contra diuinas leges contraxerunt, & vel Magistratus suos hanc rem celarunt, vel obliquis artibus tales dispensationes insciis & inuitis piis Magistratibus extorserunt. Grauitatem delicti aliquando conscientia, si euigilaauerit, ostendit. Ideoque illis serua admodum poenitentia fuerit necessaria, ne veluti in perpetuo incæsto coniugio diuinam maledictionem vel in seipsis, vel in posteris sentiant. Non enim patitur ludum hæc res: Cum Deus tales transgressores eradicare constituerit de populo suo. Leuit. 18. v. 29. Sunt enim abominationes coram Deo, ob quas gentes eiectæ fuerunt, ex patria sua terra. Sic etiam terram inquinari ipse Deus author est. Ibid. v. 27. & 28.

Sequitur II. Pars Capitis II.

*De gradibus lege Municipali & Statu-
tario prohibitis.*

Vbi primum de gradibus Consanguinitatis prohibitis tractatur.

Dein-

Deinde verò etiam de gradibus affinitatis prohibitis.

De Consanguinitate.

arg. il cap. 10
11. 9. 10

Q V Æ S T I O I.

Quibus generibus Cognatorum ratione sanguinis prohibitum est Matrimonium in ordinatione illa nostra Wirtembergica.


Respondeo. Tribus generibus Cognatorum esse prohibita Matrimonia.

1. Prohibitio.

Primò interdictum est Matrimonio his, in secundo Consanguinitatis gradu sunt cognati: vt sunt, duorum fratrum aut sororum liberi: aut fratris & sororis liberi: Die mit einander geschwisterigte Kinder/ hoc est, die zweyer schwister Kinder seyn. De hoc gradu sciendum est, illum lege diuina non esse prohibitum hoc etiam gradu cognati fuere Iacob & chel atque soror eius Lia.

B:

39



Et hic est secundus gradus consanguinitatis
lineæ æqualis.

Vocantur tales patrucles & consobrini. Patru-
cles si ex duobus fratribus. Consobrini si ex
fratribus & sororibus nati. Ex fratre & sorore na-
ti Amitini.

Sed neque Iure civili hic gradus est prohi-
bitus. Sicut enim habet Textus Instit. lib. 1. titul.
de iuribus fratrū vel sororū liberī, vel fratris & sororis,
conungi possunt.

Sed neque Iure mei instituti, nec professionis
meæ est, hoc loco Iure consultorum quorū-
dam diuersas opiniones conciliare: dum
ex quibus Theophil. negationem habent,
ὅτι οὐκ ἔστιν ἰσχυρὸν, non possunt conungi: Alii
affirmatiuam defendunt. Et hæc quoque
sententi-



sententia est communissima, quod possint
coniungi.

Quamuis autem in hoc gradu apud nos vi-
gore Ordinationis nostræ, nemini hactenus
vnquam (quod ego quidem sciam) in Consi-
torio Matrimoniali permissum fuerit contra-
here Matrimonium, tamen non desunt exem-
pla, vbi hoc alibi fuit permissum.

Et memini in hoc casu me legere Consilium
D. Jacobi Andreae Anno 1579. 20. Aprilis, ex
Annæberga subministratum petenti Electori
Saxonie pientissimo D. Augusto foelicis me-
morie, in quo certis de causis & certis etiam
personis Matrimonium in hoc gradu contra-
ctum permittendum statuit, ex his rationibus:
Quod hic gradus neque iure diuino neq; Cæ-
sareo sit prohibitus.

Et posse eum in hoc casu dispensare qui le-
gem tulit & hunc gradum iure municipali pro-
hibuit. Addit etiam: Qui in hoc casu Matri-
monia contrahant, veros quidem coram Deo
esse coniuges: at propterea puniendos quod
contra mandatum legitimi Magistratus pec-
cauerunt.

Eadem quoque olim fuit sententia D. Chy-
træi in simili casu. Sicut etiam Theologi Me-
gapolitani in casu Baronis Sueci cuiusdam cõ-
cluserunt: vt refert D. Kirchouius IC. Tom. 4.
Consil. Consilio 17. Et afferuntur hæ potissi-
mum rationes huius permissionis.

I. Quod

1. Quòd hæ personæ sint in pari gradu. Ideò nullum esse respectum parentum aut liberorum erga inuicem, sicut suprà in casu quæstionis I V.

Et hanc solam alioquin rationem legem civilem in prohibitione Collateralium attendere dicunt. Ideoque nuptias horum esse admitendas.

2. Prætereà esse hunc secundum supputationem graduum iuris ciuilibis quartum gradum.

Secundum ius Canonicum secundum gradum. Communem autem Theologorum hanc esse sententiam, quòd ius ciuile in Matrimonialibus debeat præualere Canonico, si inter se hæc duo differant.

3. Concedi hoc Matrimonium lege diuina. Exod. 6. Leuit. 18. Deut. 27.

4. Non deesse exempla talis permissionis. Exod. 6. Amram duxit patruelem suam, quæ ei peperit Mosen & Aaronem, &c.

Iuxta tamen notandum, Nec hoc matrimonium facilè omnibus concedi, sed tantùm certis de causis interdum, & ex singulari supremi Magistratus dispensatione permitti rarissimè.

Singularia autem in exemplum minimè trahenda sunt. Et omnis subditus tenetur vi legis diuinæ, Roman. 13. parere honestis legibus sui Magistratus.

Et sciendum, Augustino etiam propter cognatio-

gnationem sanguinis; nuptias in hoc gradu non placuisse, licet illas lege diuina prohibitas non statuat. Vide de ciuitate Dei lib. 15. cap. 16. Patriarchas excusat tamen, quod illi talium commixtionum singulares habuerint causas.


Author etiam est Ambrosius, & cum illo Paulus Diaconus & Aurelius Victor, Theodosium iuniorem patruales & consobrinos vetuisse inter se conuenire coniugii nomine, quia fraternæ societatis ligentur vinculo. Quod tamen mox postea relaxatum & abrogatum est.

II. Prohibitio

Ordinatio Wirtembergica interdicit matrimonio etiam his, qui in tertio consanguinitatis sunt cognati. *Geschwisterliche Kindeskin-der.* Dicuntur hi Sobrini.

E Hoc


Hoc gradu cognati sunt Laban & Iacob.



Et hic est tertius gradus consanguinitatis
lineæ æqualis.

Vbi primò hoc notandum in hoc & præce-
denti gradu, perinde esse siue ab vno vinculo
sint cognati, siue à duplici. Non enim in cau-
sa Matrimonii obseruatur pluralitas vel dupli-
citas vinculorum. Ob es Einhalb geschwisterig
gewesen/vnd von einem Band allein (vt nostrat-
es loquuntur) oder ob es recht geschwisterig von
beyden Banden gewesen, quorum liberi vel ne-
potes


potes coniungi petunt: Ut tale sit constituendum σχήμα.



Hi ab vno tantum vinculo Sobrini sunt.

Deinde notandum & hoc, prohibitionem gradus tertii consanguinitatis (von geschwisterigten Kindskindern) locum habere, tam in linea æquali quàm inæquali. Si enim in linea æquali (quæ videtur esse satis remota cognatio)

sint cognati, vel si ex altera secundus, non licet illis coniungi. Hic tale constituitur σχῆμα



Hic est tertius gradus à remotiori, seu linea inæqualis.

Tertiò notandum, hunc gradum, nec diuino neque civili iure: neque etiam in omnibus aliis aliorum Magistratum Ordinationibus prohibitum esse. At nobis in Ducatu Wirtembergico hic gradus prohibitus est, lege Municipali.

III. Prohibitio.

In gradibus consanguinitatis prohibitum est Matrimonium inter eas personas, qui vel patri

patri vel matri sponſi in 2. vel tertio gradu conſanguinitatis ſunt cognati.

Sic enim Ordinatio vult, abſtineri von denen/der Vatter oder Mutter halb in gleichem obern vnd vndern Grad zugethanen Vettern vnd Baſen.

Hoc eſt, abſtinendum ab his cognatis, welche mit Vatter oder Mutter geſchwisterigte Kinder oder Geſchwisterigte Kindskind ſeyen. Hic gradus ex præcedentibus iudicari poteſt facile.

Eſtque huius prohibitionis eadem ratio, quæ præcedentium.

Cap. III. q. II.
Q V Æ S T I O II.

*Quibus gradibus affinitatis prohibitum eſt
 Matrimonium in Ordinatione
 VVirtembergica?*

Respondeo. Ex certis & grauiffimis cauſis in hoc Ducatu gradus affinitatis & conſanguinitatis ratione prohibitionis æquiparantur: vt quibus conſanguineis non licet Matrimonium contrahere, eiſdem quoq; eodem gradu affinibus non liceat. Hæc tamen hic notanda moderatio, quod diſpenſationes in gradibus affinitatis facilius impetrantur, quàm in gradibus conſanguinitatis, vt infrà mox dicitur. Iam verò propter ſimpliciores in ſpecie etiam gradus affinitatis prohibitos pertexemus.


I. Prohibitio in affinitate.

Interdictum est matrimonio his, quorum priores defuncti coniuges (sive maritus sive vxor) in secundo gradu cōsanguinitatis fuerunt cognati, cum nouo sponso vel sponsa. Die mit dem verstorbenen Mann (oder Weib) geschwisterige Kinder gewesen seyn. Hi enim nouo sponso vel sponsæ erunt in eodem gradu affines.

Notanda enim regula : Quoto gradu quis mihi consanguineus est, eodem gradu fit vxori meæ affinis. Nam quocumque gradu iuncti sunt consanguinei, si per Matrimonium accedat persona, tum respectu illius oritur affinitas, cum consanguineis coniugis, dicto eodem gradu distantibus.

Ideoque viduo non licet ducere cognatam prioris vxoris, nec viduæ licet ducere cognatum prioris mariti.

Sponsus




Hic secundus est gradus affinitatis lineæ æqualis.

II. Prohibitio.

Sed & ulterius progreditur nostra Ordinatio, & Matrimonium prohibet contrahere cū his, qui defuncto coniugi in tertio quoq; gradu consanguinitatis fuerunt cognati: adeo nouo sponso vel sponsæ in tertio gradu affines sunt. Die mit dem verstorben Mann geschwisterterigt Kindskind seyen.

Hic gradus affinitatis satis remotus esse videtur.

E 4 . Sponsus



Hic tertius affinitatis gradus est in linea æquali.

Neq; verò hunc aut præcedentem gradum iura ciuilia vel diuina vetant: Neque etiam aliis omnibus in locis hi duo posteriores affinitatis gradus prohibentur: sed apud nos gradibus consanguinitatis affinitas vt dixi æquiparatur, ratione prohibitionis.

QVAE-

QVÆSTIO III.

Quare plures gradus lege municipali & statutario sunt prohibiti, quam lege diuina?

Respondeo. Regula est pia atq; admodum memorabilis: In matrimoniis non tantum quod licet, sed & quod honestum est spectandum esse.

Item (quod & Brentius allegat) rectè dicitur: In Matrimoniis contrahendis naturale ius & pudor inspiciendus est.

Itaque propter maiorem sanguinis & cognatorum reuerentiam graui atque prudenti Magistratus consilio plures gradus lege municipali quàm diuina sunt prohibiti.

Ideoq; remotiores etiam nonnulli consanguinitatis & affinitatis gradus sunt prohibiti, vt in tanta hominum nostri seculi peruersitate reuerentia maior sit.

Atque vt possint conseruari gradus consanguinitatis, prohibentur etiam gradus affinitatis. Vt possit conseruari gradus secundus, prohibitus etiam est tertius in vtraq; cognatione.

QVÆSTIO IV.

Quibus præter hos cognatos & affines matrimonio interdicitur, in Ordinatione VVirtembergica?

Primùm adoptiuis, qui ab aliis adoptati sunt.

Deinde qui sub Tutela & Curatela eorum sunt, qui cupiunt illis coniungi.

Prohibetur autem his Matrimonium cum hac conditione, quatenus illæ nuptiæ iuri communi & civili aduersentur.

Hic ergò standum iudicio Iureconsultorum: ut & in cæteris: quæ conscientiam non attinent.

De adoptiuis iura tantum Canonica tractant. Ciuile nihil statuit, quatum ego quidem sciam ex aliis.

Tutori autem pupillam ducere iura vetant ciuilia, canonicum non item.

Hæc ut dixi Iuris sunt relinquenda.

Notandum, Pontifices Romanos, consanguinitatis gradum vsque ad septimam generationem seruandum præcepisse.

At sub Innocentio III. in Concilio Lateranensi prohibitio illa vsq; ad gradum quartum restricta fuit inclusiuè. Et id hodiè etiam obseruatur. Sed & in spiritali cognatione prohibitæ fuerunt nuptiæ inter patrum & eam quam in Baptismo suscepit filiam. Hæc explosa sunt in nostris Ecclesiis. Vide Luth. Tom. 2. Ien. ger. fol. 273. Interim Papa dispensat in gradibus lege diuina prohibitis, quia scilicet habet idem Consistorium cum Deo: si ipsi credimus.

QVÆSTIO V.

Quando autem & in quibus casibus locum habet Dispensatio?

Dispensatio locū habet in his, quæ sunt iuris positiui. Suprà enim diximus in gradibus lege diuina prohibitis dispensari à nemine posse. Certas autem ob causas à Magistratu dispensari potest in his gradibus, quos ipse Magistratus prohibuit.

Nec verò quicquam priuata auctoritate statuendum, sed Magistratibus superioribus id permittendum.

Vbi tamen notandum est, quo rariores sint dispensationes, præsertim in gradibus propinquioribus, tanto minora oriri scandala. Idque tantò magis obseruandum, quòd hodie non tanta est hominum penuria, vt necesse sit matrimonia contrahere cum propinquis & affinis.

Rarò etiam sunt felices euentus Connubiorum in gradibus prohibitis, vt nisi graues causæ intercedant, fatius fuerit ab omnibus cognatis & affinis abstinere.

Vt autem simpliciores sciant, in quibus (nostra ordinatione prohibitis) gradibus Dispensatio impetrari possit, de his in specie breuiter dicam, quid hætenus apud nos obseruatum fuerit.

In gra-

In gradu secundo Consanguinitatis, wo ge-
schwisterigte Kinder einander begeren zu nem-
men/nunquam haectenus (vt supra dixi) vlli ho-
minum fuit permissum Matrimonium, in Cō-
sistorio Matrimoniali huius Ducatus, quod
ego quidem sciam. Sunt enim hi proximo san-
guine iuncti.

NOTA. In tali gradu coniungi cupientes,
nec volentes separari (cum res non fuerit
integra) Ducatu excedere iussi sunt, An. 1600.
4. Septembr.

In 2. gradu affinitatis autem, da die neue
Ehegemächte mit vorigen verstorbenen Geschwi-
sterig Kind/dispensatum memini, factis facien-
dis, Anno 96. & rursus 97. 4. Martii & 1. Dec.
& 98. 12. Maii, & 17. Aug. annuente Illustris.
principe. Votis Iudicum Consistorii Matrimo-
nialis. Id postea factum sæpius.

Facilior impetratu est Dispensatio in tertio
& secundo Affinitatis gradu, sc. si à remotiori
sit tertius.

Est verò hic notandum etiam hoc (quod
multi imperiti non intelligunt) in dispensatio-
nibus cognatorum vel affinium causa, non
attendi hoc, vtrum ex priori coniugio liberi
sint suscepti vel non.

Liberi enim cognationi nihil neq; addunt,
neque detrahunt, neque illam propiorem vel
remotiolem faciunt.

Contrà quàm vulgus hominum iudicat.
Putant

Putant enim sic facilius locum habere dispensationem, si ex cognatis nulli sint procreati liberi, in priori Matrimonio.

Neque verò sine certis causis & grauibus, dispensatio in talibus casibus à Magistratu, vel Iudice, peti debet.

In tertio consanguinitatis, magis verò affinitatis gradu, Iudex in dispensando (per se) non multum est difficilis. In linea tamen inæquali (puta si à propinquiori sit secundus gradus, & à remotiori tertius) difficilior impetratu erit dispensatio. Hæc de dispensationibus.

Q V Æ S T I O V I.

Quibus verò tandem affinibus liberum est per se contrahere matrimonia?

R Espond. In affinitate secundi & tertii generis (Nota. Non dico iam gradus sed generis de quo mox dicetur) matrimonia omnibus sine dispensatione contrahere licet. Quia ubi nulla neque iuris diuini, nec ciuilis, nec statutarii, est prohibitio, ibi nulla requiritur dispensatio.

Hinc liberè licet contrahere matrimonium sequentibus personis.

Mater vxoris cum patre mariti : Et priuignus matris, cum filia nouerca, ex alio, potest contrahere.

47. Pater & filius possunt ducere duas sorores.

Dere

Pater & filius possunt ducere matrem & filiam.

Duo fratres possunt ducere duas sorores.

Ex duobus fratribus vnus potest ducere matrem: alter filiam illius: (non ex fratre, sed priori marito natam.) Mariti filius ex alia vxore, & vxoris filia ex alio marito, vel contrà, licite contrahunt.

Secundum enim & tertium genus Affinitatis nullam habet prohibitionem.

Dicitur autem secundum genus Affinitatis si primo generi addatur alia persona, per copulã: vt si fratris vidua ipso mortuo alteri nubat.

Tertium genus Affinitatis est, si secundo generi adhuc alia persona, per copulam addatur. Vt si mortua vidua fratris, maritus illius posterior, ducat aliam vxorem.

NOTA. Consanguinei coniugum vtriusq; partis non fiunt inter se affines, vt matrimonia contrahere non possint.

Maritus & vxor per copulam fiunt vna caro. At vtrique cognati, inter se non fiunt vna caro. Ideoque dicitur, Affinitas non late vagatur, sc. quæ matrimonia impediat.

Et hæc quidem de gradibus.

Plura qui vult, in aliorum prolixis scriptis, cum Theologorum tũ Ictorum eruditissime hæc materiam de gradibus tractatam inueniet.

Semper autem & vbique & apud omnes in conspectu sint illæ, quas supra annotauimus,

Regulæ,

Regulæ, Quod videlicet in Matrimoniis non tantum quod licet, sed quod honestum est, spectandum sit.

Sic enim Conscientia, quæ res est tenerrima, minus læditur, scandala & offensiones vitari (de quibus Matth. 18. v. 6. Christus grauissimè pronunciat) & diuinæ maledictiones, vt ἀτεκνία (quam minatur Leuit. 20. vers. 20. & grauiiores aliæ) caueri possunt.

Vulgò enim pii etiam sæpè turbantur & offenduntur huiusmodi confusionibus appellationum, quæ ex eiusmodi contractu oriuntur. Ideoq; cum res adhuc est integra, habenda est ratio illius supra allegatæ regulæ.

C A P V T I V.

De raptu, & vi coactis aut dolo inductis virginibus vel mulieribus.

Quia Ordinatio Matrimonialis Wirtembergica etiam huius casus mentionem facit, breuiter de illo erit aliquid monendum.

Raptus autem vocatur hoc loco, si virgo, aut vxor, 1. vel dolo malo, atque fraudulenter (mediantibus hominibus nequam, scilicet sollicitatoribus vel internunciis) 2. vel vi, clandestinum fuisse abducta, [vbi quidem constitutione altera pœnali, grauissimè mulctandus Raptor mandatur. De pœnis autem hoc loco agere, non est nostri instituti.]

I. Primum autem si constat de raptu per vim facto, certum est, factum illud posse corrigi, & raptori denuò eripiendam eam, quam sibi voluit copulare inuitam: ita tamen, si illa nec prius consenserit vnquam, nec etiamnum, postquam ab illo fuit abducta, velit ipsi cohabitare, sed liberationem quærat.

Et notandum, quòd licet I Cti in tali casu, si copula sit subsequuta, matrimonium non amplius dirimendum putent: Lutherus tamen illam liberam esse pronunciandam statuit etiam post copulam. Eadem enim videtur esse huius ratio, quæ est illius, quæ per vim stuprum passa est.

Meliùs tamen esse statuit, si quæ rapta fuit, & vim passa, postmodum sibi patiatur persuaderi, vt cohabitaret raptori. Sicut raptae mulieres in Siloh, Iud. vltim. cohabitare cogebantur raptoribus. Licet ibi alia fuerit ratio. Tum etiam mitius raptorem puniendum I Cti sentiunt.

Quòd si verò vi rapta, & stuprum passa, non velit cohabitare raptori, tunc ad consummandum cum raptore matrimonium officio iudicis omnino cogi non debet.

II. Raptoribus autem planè similes iudicantur illi, qui dolo, fraude, & quacunque possunt illegitima ratione, vel per se, verbis aut blanditiis miseras & simplices mulierculas alluciant, vel id ipsum per copulatores aut interuentios falsiloquos & mendaces agunt.

Si au-

Si autem talis muliercula, vel virgo dolo inducta, sub patria potestate sit, expedita res est, vt rescindatur omnis contractus: quod capite primo supra est annotatum. Quòd si verò sui iuris sit mulier, ita dolosè inducta, & blanditiis, vel verbis mendacibus circumuenta, quæ tamen nunquam consensisse, aut purè fidem matrimonii dedisse conuinci possit, tum hæc promissio, vt clandestina & illegitima iudicari debet, & irrita est.

Magna enim hodie quorundam est malitia, qui miras excogitant artes, & verbis ludunt fallacibus, si qua possint extorquere assensum aliquem adamatæ: quem postea vehementer vrgent. At hæc nequitia proci punitur grauissimè. Cum enim matrimonium res sit sancta & diuina: apertè & candidè tractari debet, absque fuce, dolo, fraude, mendaciis.

C A P V T V.

De diuortio propter adulterium.

Q V Æ S T I O I.

Quando adulterii causa fieri possit diuortium.

IN sacris literis expressum est, propter adulterium posse inter coniuges fieri diuortium. Ideoque de facto separari iussit Deus coniuges, occidendo personam adulteram, vt patet

F expressè

expressè Leuit. 20. vers. 10. & Deuter. 22. ver. 22.
Vide ibi.

Nec vlla ibi apposita legitur conditio, tum demum committi adulterium, si coniugatus cum coniugata dormiat: ac si soluta persona cum coniugata dormiat, non committi adulterium, præsertim ratione solutæ personæ. Simpliciter enim dicitur, *Si quis* (quicumque is sit) cum alterius coniuge dormierit, *moriatur*, siue vir siue mulier. Et certè hic adulter est.

Christus etiam non negat, propter adulterium posse fieri diuortium: quod alioquin non concedit. Vt patet Matth. 5. & 19.

Ideoque hoc etiam tempore propter commissum adulterium diuortium fieri posse statuit Ordinatio nostra. *His tamen conditionibus.*

I. Vt non priuata authoritate sese separent coniuges: sed præcedente cognitione causæ id fieri debet, à Iudicibus ordinariis, quibus id est commissum.

Hi verò non concedunt diuortium, nisi adulterium sit manifestum, vel confessatum (ubi tamen excluditur casus, si quis propriam turpitudinem alleget. Huic non credendum esse Iureconfulti statuunt) vel conuictum. Vbi non admittuntur probationes, nisi quæ luce meridiana sunt clariores. Neque enim ex suspicionibus, nec ex præsumptionibus adulteri reus agi potest aliquis.

II. Vt priùs reconciliatio tentetur, & sollicitè quæra-

quærat. Ideoque non semper conceduntur personæ innocenti alia vota, statim post separationem: sed (vt locum inueniat recõciliatio) temporis aliquod interuallum expectatur. Quia etiam post separationem factam legitime per iudicis sententiam, integrum illis est denuò reconciliari. Sententia enim hoc casu contra matrimonium lata non transit in rem iudicatam.

III. Tertiò, si postquam adulterium cognitum fuit personæ innocenti, illa non condormiuit adultero, tunc potest fieri diuortium. Si autem post commissum adulterium sciens & volens ipsi concubuit, & debitum coniugale præstitit, tunc quia hoc pacto videtur esse sequuta reconciliatio, non amplius separantur.

IV. Addit etiam hanc clausulam Ordinatio nostra Matrimonialis: si quoque ab altera parte commissum sit adulterium, non posse fieri diuortium. Etenim tum valet illa regula: Paria delicta mutua compensatione tolluntur.

Q V Æ S T I O II.

Vtrum parti nocenti, hoc est, adultero vel adultera permittenda alia vota?

Contrarium multi sentiunt. Et Pontificii quidem nec innocenti etiam alia vota permittunt. Quod nimis durum est. De nocente autem difficilior est quæstio. Lutherus quidem

prudenter pronunciat, si locus esset legi diuinæ de occidendo adultero, tunc huius quæstionis nullam fore solutionem necessariam. Si enim occidatur, aliis votis non opus habet. Vbi verò id non obseruatur, & persona nocens continere nolit, ita possent illi permitti alia vota, vt in alienam Regionem ablegaretur, si denuò vellet nubere. Quam enim adulteram nemo condemnauit ad mortem, Christus etiam condemnare noluit. Ideoque nec illius conscientia etiam est lædenda, sed subleuanda auxilio Ecclesiæ. At si stricto iure cum adulteris sit agendum, certum est, illi alia vota concedi non posse. Qui enim repudiatam ducit, mæchatur. Matth. 19. secundum Iureconsultos. Theologi mitiores sunt, & in loco delicti non tolerandum, alibi autem secundas nuptias concedi posse putant.

Et prohibitione matrimonii neminem puniendum ex scripturis constat. Quia id Paulus omnibus concedit: præsertim his qui continere non possunt, 1. Cor. 7. Vide Luth. de vita coniugali. Tom. 2. Ien. germ. fol. 166.

Q V Æ S T I O III.

De adulterio sponsi & sponsæ.

Pertinet huc illa quæstio de sponso & sponsa, utrùm illi etiam committant adulterium, cùm matrimonium non sit consummatum.

At quia

At quia consensus facit nuptias ; & Deus lege Deuteron. cap. 22. pœnam mortis infligit sponsæ, quæ cū altero dormiuit in ciuitate, &c. inde certè sequitur, etiam sponsum vel sponsam, si post fidem datam, & promissionem factam, antequam matrimonium publicè sit confirmatum, nihilominus alteri corporis sui potestatem faciat, coram Deo adulterium committere. Ideoque hoc casu etiam in Consistorio Matrimoniali nostro abinuicem separantur: licèt mitius puniantur, quàm qui consummatum matrimonium adulterio polluerunt.

Q V Æ S T I O IV.

Si quis duxit compressam ab alio, vtrum possit fieri diuortium.

HAnc quæstionem propterea hoc loco ponendam duxi, quia multæ post factam promissionem matrimonii, aliis sese prostituunt, & sic verè adulterium committunt, quod tamen dissimulant, & grauidæ ad coniugem accedunt: vel, postquam iam ab aliis grauidas sese sentiunt, pro virginibus tamen se venditant, & vitiatæ veniunt in complexum maritorum: qui sæpè illud (quod meretrices tales piis & simplicioribus facilè fucum facientes, studiosè occultare soleant) non priùs sentiunt, quàm partus tempus instet. Hoc casu quæritur, quid faciendum, & vtrum maritus teneatur retinere corruptam, quam voluit ducere virginem.

F 3

Et sunt

Et sunt sane multi in ea sententia, non posse inter illos fieri diuortium: quia error qualitatis non vitare debeat matrimonium: & separata hoc casu non possit alteri nubere, quodq; graue sit matrimonium consummatum rescindere, &c.

Et Lutherus, consultus super hoc casu, suadet cuidam viro bono, vt non dimittat ab alio impraenatam: quia sic ipsam perpetuo humilem & obedientem sit habiturus, si hunc ipsi casum condonet.

Esse hoc opus misericordiae, non reprehendendum. Summum ius summam iniuriam. Non semper rigore iuris vtendum, sed interdum aliquid remittendum & adhibendam *πείραν.*

Idem verò alibi etiam non repugnat, posse talem relinqui, & duci aliam, si maritus nolit ipsi delictum condonare. Vide Tom. 5. Ien. fol. 250. Et 6. Ien. fol. 530.

Sunt autem plures praesertim Theologi, qui statuunt faciendum diuortium, si dolose inductus sit maritus, & corruptam pro virgine duxerit.

Idque ex his fundamentis.

1. Deus lege Deut. 22. vult lapidari illam, quae non fuerit inuenta virgo. Sicque ipso facto separauit maritum à tali coniuge.

Et vitiatam ab alio similiter lapidari vult, si sit viro desponsata.

2. Ioseph sentiens Mariam grauidam ante cohabitationem, volebat illam deserere. Nec propterea reprehenditur. Matth. 1. Et is tamen erat vir iustus.

3. Dolus est maximus in muliere. Vir verò innocens est. Quare igitur par ratio sit utrobique? Neque tantum est error simplicis qualitatis, sed talis, qui substantiam matrimonii conuellit.

4. Ius Ciuile in contractibus ciuilibus emptionis & venditionis, permittit rescindere contractum dolosum, multò magis his illud permittendum est.

5. Tristes sequuntur euentus, si illi cogantur cohabitare.

Sunt & aliæ rationes, quas videre licet apud alios.

Hæc verò (meo iudicio) sufficiunt, ad dirimendum tale matrimonium: quia hic error nimis est crassus.

Sic conclusum memini in duobus casibus. Altero An. 1598. 16. Martii, cùm V. duxisset A. compressam ab alio: Et eodem Ann. die 2. Nouemb. cùm M. S. duxisset A. ab alio factã grauidã, antequã in matrimonium veniret sui mariti.

Vbi tamen notandum, fieri diuortium his conditionibus, quibus ferè in adulterio solet idem permitti.

1. Si nulla reconciliatio, quæ studiosè tendenda est, locum habeat.

2. Si maritus vir sit bonus & honestus, & non eiusdem criminis reus agi possit. Alioquin paria delicta mutua compensatione tolluntur.

3. Si non concubuit vxori, postquam intellexit ipsam ex alio grauidam.

Quæritur hîc an illi quæ sic est separata, alia vota possint concedi.

Respond. Ita. Post annos aliquot si piè vixerit. Sic pronunciatum Anno 1605. 12. Decem. quæ in casu allegato separata erat, Anno 1603.

C A P V T V I.

De causis matrimonium perturbantibus, non autem separantibus: & reconciliatione coniugum dissidentium.

CVm Diabolus coniugii hostis sit infensissimus, magno conatu hoc agit, vt concordet etiam coniuges diuellat, & animos illorum distrahat. Et quidem varia solent coniugum esse onera, quæ alter coniunx contra præceptum Pauli ferre recusat. Vt sunt rixæ, contentiones frequentes, hinc iurgia, inde sæuitia alterius coniugis; Item morbi incurabiles, furor, veneficium, mortis machinatio, vel delictum mariti, quod infamiam affert, &c.

His & similibus casibus, non propria auctoritate coniuges possunt ab inuicem discedere: quin potiùs, si magnæ oriuntur dissensiones, animo.

animorumque distractiones, magna cura hoc agere debent Ministri Ecclesiæ cum Magistratu Politico, vt reconcilientur partes dissidentes. Et sanè propter rixas, contentiones, iurgia (quibus non semper caret thorus coniugalis) imò & verbera, certum est, nunquam posse fieri separationem inter coniuges, nec totaliter, neq; quoad thorum & mensam, quàm fictam tantum, & imaginariam separationem Lutherus vocat.

Iudæorum quidem tanta erat pertinacia, vt propter leuissimam causam repudiare vxores non fuerint veriti. Id verò omne Christus sustulit Matth. 19. & extra casum adulterii, &c. separationem fieri non vult.

Monendi igitur hoc casu coniuges, vt breui reconcilientur, & cohabitent, sicut decet Christianos: ne aliis sint offendiculo, & malè audiat nomen Domini propter ipsos.

Pertinaces etiam pœnis & carceribus in ordinem cogi vult Ordinatio nostra.

De cæteris verò quibusdam casibus, in specie iam Theologorum quorūdam iudicia breuissimè audiamus.

QVÆSTIO I.

An propter nimiam seuitiam & machinationem vitæ atque veneficium fieri possit diuortium?

HOc calu vix certi quippiam statui potest. Verum autem est, nec propter sæuitiam nimiam, nec propter cætera pericula, totalem separationem locum habere posse. Nec prope-
randum etiam ad distractionem talium coniu-
gum: sed prius omnia tentanda.

Iuratoriam etiam, vel aliam cautionem re-
quirunt Icti prius, quàm discedant con-
iuges ab inuicem: vt maritus iuret de non of-
fendenda vxore. Quod factum fuisse scio, An-
no 1602. in causa R. contra vxorem. 25. Fe-
bruarii.

Quando verò vitæ periculum imminere vi-
detur alteri coniugum, tunc Magistratus per-
mittit, illos separatim habitare: ita tamen, vt a-
limenta alter alteri præstet. Sæpius verò inter i-
psos tentatur reconciliatio: nec vlla fit separa-
tio totalis, qua permittantur alteri secunda vo-
ta. Sic enim solet formari sentētia, vt sæuus ma-
ritus sciat sibi corpore & bonis vxoris interdi-
ctum esse, vel vt parti læsæ hoc indulgeatur, vt
non teneatur cohabitare marito: *vsque dum pia
fiat reconciliatio.* (Non enim vel thori vel men-
sæ fit mentio, quæ verba à Pontificiis promana-
re dicunt Iureconsulti.) Ita pronuntiatum est,
in causa A. contra L. maritum sæuum Anno 99.
26. Aprilis. *lib. v. Tarnov. l. 3. de conyug. et*

Rara autem sunt exempla: quia mali exem-
pli hæc res est. Nec facilè Iudex, vt in hanc de-
icēdat sententiam, permoueri debet, nisi præ-
sentissi-

sentissimum subsit periculum, & cum omnia
præcedentia remedia, carceres, cautiones, &c
sunt adhibita. Estque hæc *tolerantia & coniu-*
uentia, non autem separatio.

QVÆSTIO II.

*An propter lepram, Epilepsiam, furorem &
similes morbos incurabiles fieri pos-*
sit diuortium?

Quia vir & mulier sunt vna caro, & sic co-
pulati, vt læta & tristia æquo animo tole-
lare debeant: ideoque si consummato iam &
constante matrimonio talis aliqua (licet maxi-
ma & grauissima) calamitas accidat coniugi-
bus, certè non possunt iuicem deserere. Præ-
sertim cum id eueniat absque culpa coniu-
gis.

Nemo etiam carnem suam odio habet Eph.
5. quantumuis afflicta & morbidam: imò lan-
guentem & ærumnosam diligentius curat. I-
dem etiam de coniuge afflicta fiat. Non igitur
persona rectè valens, deserat aut negligat æ-
grotam.

Semper itaque manet & manere debet fœ-
dus coniugale, inter tales personas. Iniustissi-
mum autem est amicum (& multo magis con-
iugem) egentem auxilio deserere. Hæc est sen-
tentia Lutheri, Brentii, & Philippi atque alio-
rum.

Notan-

Notandum verò in lepra, secundum sententiam Brentii non cogi debere rectè valentem personam, vt continuè cohabitet morbilæ & infectæ personæ: de alimentis tamen propicere debet.

Neque verò omne debitum coniugale perpetuò recusandum ægroto coniugi (si is continere nolit aut nō possit) statuit idem: cū Pauli sententia hoc velit, 1. Corin. 7. vers. 5. ne tentet eos Satan.

Monendi tamen vtrinq;, vt quantum possibile est, seruent castitatem, ad vitanda multa mala, Deoq; (additis ardentissimis precibus) in hoc calamitatis genere suam fidem & patientiam probent.

Idem quoq; D. Lutherus obseruandum statuit, si alter coniunx propter perpetuam inuacletudinem alteri debitum præstare non possit. Sanctam hanc esse crucem, & patienter ferendam asserit. Precibus moueri Deum, vt largiatur donum continentia: quod non sit recusaturus, quia fidelis est, nec ultra vires tentat. Nec duplici pœna te affliget. Vide Tom. 2. Ienens.

Quòd si verò ante consummatum matrimonium talis aliquis defectus deprehendatur, (quem alter contrahentium studiosè forsitan occultauit) tūm potest facta promissio rescindi. Fuit enim dolus malus, & nemo præsumitur ducturus leprosam, furiosam, &c.

Valet hoc loco illa regula: Multa sunt, quæ
matri-

matrimonium contrahendum impediunt: Contractum autem non dirimunt.

QVÆSTIO III.

An propter delictum alterius coniugis fieri possit diuortium.

Respondetur hoc casu idem ferè, quod præcedentem, coniugem scilicet, siue laici siue tristiciæ, nō posse deserere alterū. Quod si maximè maritus propter commissum delictum relegatus esset, tamen vxor propterea illo separari non potest: cū sint vna caro.

Ideoq̄ue & honorem & infamiam communia inter se habēt. Hoc etiam Lutherus statim adducens exemplum mali Dispensatoris, Mat. 18. Vbi Dominus iubet vendi ipsum non tantum, sed & vxorem & liberos.

Huic posset addi exemplum Achan, qui suis fuit combustus. Ios. 7.

Et sicut mulier coruscat radiis mariti, ita etiam illius infamiae partem ferre cogitur.

Nec conceditur illi alii nubere, donec maritus moriatur.

Cainum sequutam fuisse vxorem, cū fugit profugus & maledictus esset, atque partem laminitatum illius ferre coactam, scribit Lutherus in Genes. capit. 4.

C

CAP. VII.

De desertione & causis aliis matrimo-
nium irritum facientibus.

QVÆSTIO I.

*An propter desertionem fieri possit
diuortium?*

¶ Vm Christus Matth. 5. & 19. vnicam cau-
sam diuortii alleget, adulterium scilicet:
non sine ratione quæritur, an extra hanc cau-
sam locum quoque possit habere alia. Et respõ-
ditur, quòd sic. Particula enim illa Christi,
quando dicit, *nisi* propter adulterium, non pos-
tulat separationem, non secludit eas causas,
quæ ad adulterio æquiparari possunt, aut substan-
tiam matrimonii conuellunt: sed tantum op-
ponitur consuetudini Iudæorum, qui quavis
causa leui de causa faciebant diuortium.

Primum igitur, *desertionem* malitiosam cau-
esse posse diuortii faciendi legitimam, Pau-
lus auctor est, 1. Corinth. 7. sic scribens: *Quòd
credulus discedit, discedat, non est seruituti
obnoxius frater aut soror huiusmodi.*

hanc ob causam Consistorium Matrimo-
niale huius Ducatus (vt alia etiam) ex funda-
mento Apostolici textus permittunt diuor-
tium, his tamen conditionibus.

1. Si

1. Si constet desertionem esse voluntariam & malitiosam, & Desertorem non habere animum redeundi. Eleganter enim distinguunt Icti inter absentiam necessariam & non necessariam. Necessariam absentiam eam vocant, quando vir non potest reuerti, si maximè velit. 1. Vt si in militiam profectus, vel sit captus, ab hostibus, vel officii causa ibi detineatur per plures annos, vel si propter negotiationes & mercaturam in alienas terras profectus diutiùs detineatur. 2. Aut si captiuus sit alibi: 3. Aut si morbo impediatur, & lectulo affixus detineatur. 4. Item, si sit relegatus, & non liceat illi redire domum.

Hæc necessaria, iusta & probabilis est absentia: & hoc casu nunquam permittitur vxori, vt alteri nubat, nisi priùs certa sit de morte mariti.

Nec etiam permittitur illi nubere, si ita conuenit inter maritum & vxorem, & cum consensu vxoris discessit maritus. Illud non potest retractare, sed tenetur expectare donec redeat, vti conuenientum est.

2. Alia autem est desertio malitiosa, non necessaria, si maritus nulla urgente honesta causa, ex mera leuitate vel malitia, vel vt liberiùs foris viuere possit, vel ex aliis causis non necessariis deserat vxorem, atq; multo tempore absit, nec habeat animù redeundi aut affectù maritalē: ibi tùm fit diuortium, post sexenniù vel septen-

leptennium: si non certò constet, vtrum maritus sit mortuus, ne ne. Vbi tamen processus legitimus seruandus est, in re tam graui. Non enim licet mulieri etiam post 20. annos propria authoritate nubere alteri.

Requiritur enim, 1. Cognitio causæ, vtrum absentia sit necessaria, vel non: Et vtrum maritus intra tempus absentia nihil scripserit, vel miserit vxori. Si enim id factum esset, non creditur maritus omnem maritalem affectum exuisse: sed ad patientiam cohortari solent Iudices vxorem.

2. Requiritur etiam Citatio publica: vt maritus compareat ad dictum diem, & se sistat iudicio, & desertionis causas iustas assignet. Vel id faciant illius cognati & propinqui.

3. Quòd si non compareat, nec alii ipsius loco, tùm fit diuortium. Et pronunciatu hoc casu talis sententia, quòd mulieri alia vota permissa sint.

QVÆSTIO II.

De reditu Desertoris.

Hic verò alia quæstio incidit, quid faciendum, si prior maritus redeat. Memini enim Anno 93. redire N. Ciuem Wangensem post 10. annos, mox post nuptias cum posteriori marito celebratas: & alium N. Ciuem W. post 8. annos, redire ipsa die nuptiarum vxoris, antequam nuptiæ confirmarentur, & benedicen-

cerentur publicè in templo: quorum neuter quidem repetiit vxorem, sed sibi etiam concedi vterque petiit, vt liceat ipsi aliam ducere vxorem. Permissum quidem fuit illis alias ducere vxores, sed hac conditione, vt aliis in locis, alter quidem extra Ducatum, alter verò loco quodam à priori sede remotissimo intra Ducatum viuant.

Priorem autem vxorem Desertor malitiosus post tot annos non potest repetere, si illa interim de sententia iudicis alii nupserit.

Et tales desertiones sine fornicatione rarissimè fiunt. Interdum etiam illi homines nequam, propterea à integro septennio absunt, vt liceat illis postmodùm alias vxores ducere, si vxores, quas fastidiunt, alia vota impetrauerint in absentia illorum.

Tales vel perpetua deportatione aut relegatione à Magistratu esse puniendos sensit Lutherus, Tom. 5. Ien. fol. 383. si redeant: quia miseris mulierculas domi cum liberis fame necandas relinquunt: ipsi interim liberè viuunt foris, & quæuis peccata committunt. Comparat etiam tales furibus atque raptoribus, & adulteris deteriores esse iudicat.

QVÆSTIO III.

De Desertione sponsi & sponsæ.

Quemadmodum in coniugio consummato fit, vt interdum coniuges inuicem deserant:

G

serant:

ferant : ita etiam sæpè antequàm consumma-
tum sit coniugium , vbi sponsalia & promissio-
nes factę sunt inter spõsum & sponsam, alter al-
terum deserit. Hoc casu quæritur , quamdiu
sponsa teneatur expectare spõsum absentem.
Et licet penè eadem sit ratio sponsi defertoris,
ratione delicti , quæ est mariti defertoris , non
tamen quoad tempus quo expectandus est de-
sertor , par est ratio. Et si iusta atque necessaria
sit absentia, tum eadem est ratio, quæ in præce-
denti desertionis casu, vt sponsa teneatur expe-
ctare sponsum , vsque dum impedimentum
sponsi cesset.

Si autem inter ipsos de certo tempore con-
uenerit, intra quod debeat matrimonium ce-
lebrari, nuptiis consummari, tunc illud tem-
pus expectandum.

Si verò desertio planè sit malitiosa & volun-
taria, tum vel triennium, vel secundum alios,
biennium expectare cogitur. Plures tamen,
ipsam vltra annum non esse detinendam, sta-
tuunt.

Nec ipsi licet ante causæ cognitionem & iu-
diciis sententiam alteri nubere.

Citatio enim præcedere debet, bina vel tri-
na: si non compareat, tum demùm illi alia vota
conceduntur.

Relinqui autem tempus in arbitrio Iudicis
alii (nec malè) sentiunt, qui debeat considerare
moram & ætatem puellæ.

QVÆ-



QVÆSTIO IV.

*An propter negatum debitum coniugale
possit fieri diuortium?*

Desertioni malitiolæ æquiparatur etiam sequens casus à Theologis nostri seculi præcipuis, si alteruter coniugum alteri debitum coniugale præfracta pertinacia negare pergat, contra commonefactionem Apostoli. I. Cor. 7. vxori vir debitam benevolentiam præstet, similiter autem vxor viro. Vxor proprii corporis non habet, sed maritus. Similiter & maritus proprii corporis potestatem non habet, sed vxor. Ne fraudetis vos inuicē, nisi sit, quid ex consensu pro tempore, vt vacetis ieiunio & precationi, & rursus in vnum conueniatis, ne tētet vos Satanas propter incontinentiā vestrā.

Si ergo talis persona nullis modis aut rationibus, nec publica & seuerissima Magistratus authoritate, carcere & pœnis, possit adigi, nec vlla commonefactione tantum proficiatur, vt matrimoniali consuetudine cohabitaret coniugi, liberetur persona innocens per sententiam à tali coniuge infideli & pertinaci: & concedatur innocenti personæ alia vota. Lutherus & Hunnius atque alii ex rationibus prædictis ita concludunt. Et sic pronunciatū memini in casu B. contra S. Stutgardia, Anno 1600. 13. No- 58
uemb. Vide Luth. de vita coniugali. Tom. Ien.
germ. fol. 16. b.

QVÆSTIO V.

An propter impotentiam possit fieri diuortium?

Inhabilitatem corporum ad matrimonium, causam esse diuortii, similiter statuunt Theologi; Imò propriè dicendo, hæc non est separatio: sed tantùm per sententiam Iudicis declaratio, quòd propter frigiditatem & impentiã, verum matrimonium inter ipsos non fuerit. Cùm enim nec principalem cõiugii finem, qui est sobolis procreatio, assequi, nec debitum coniugale, iuxta præceptum Paulinum persolvere, 1. Cor. 7. possint impotentes, matrimoniũ etiam verum esse inter tales non potest. Sic etiam in hoc casu sententia formari solet, *matrimonium inter illos nullum fuisse.* Id verò non nisi *his conditionibus* fieri solet.

1. Si constet de impotentia. Quod priùs solet explorari in viris per Medicos & Chirurgos: In scæminis per obstetrices & alias mulieres idoneas. Si verò de impotentia non constet, coguntur cohabitare ad tempus, vt possit fieri exploratio.

2. Si impotentia sit naturalis & perpetua, quæ sanari aut corrigi nõ possit: non autem accidentaria & talis, quæ possit adhibitis remediis curari.

3. Si impotentia antecessit matrimonium, & illa latuit alterum coniugem.

Alia

Alia verò longè est ratio, quando in natiuitatis vitium sequutum est nuptias, per aduersum aliquem casum, vbi necesse est, vt persona integra magis condoleat alteri, & patiēter eam crucem ferat, quàm vt deserat afflictam. Rursum autē secus iudicatur, si quis etiam post nuptias, seipsum ferro vel pharmacis, *data opera*, fecit inhabilem ad matrimonium. Ibi citra dubitationem persona integra & sana pronuntiat^{ur} libera.

Q V Æ S T I O V I.

An impotenti matrimonium sit permittendum.

DE iure certum est, matrimonio interdici frigidis & impotentibus; hac conditione tamen, si non sit, quæ velit illi (cum consensu, & ex permissione Iudicis) cohabitare, & patienter ferre illius impotentiam: Vbi tamen tales mulieres sunt monendę per Iudicem, & Ecclesię Ministros, ne sese in pœnitendas nuptias cōiiciant. Si enim postea maximè de coniugio illo infelici pœniteāt, illos nunquam posse separari. Quòd si verò mulier monita omninò velit cohabitare tali viro: potest illud permitti: Abisag certa Samamitis Dauidi associari se passa est: quam tamen non cognouit Dauid, 1. Reg. 1. Talia matrimonia vulgò vocātur, *Josephs Ehe*: quia is cohabitauit Marię, quã tamē nō cognouit. Allegatur hoc casu dictū Augustini: vt si nō

... uxor, cohabitaret ut frater.
Et hoc permiffum memini C. F. Anno 93.
Et 96. die 22. Ianuar. in cafu I. M. Item in cafu
G. W. Anno 1599. 29. Martii.

Narrantur à Doctis hiftoriæ & exempla, ubi
piæ matronæ sæpè multis annis cohabitarunt
viris frigidis, &c. Idem factum apud nos annis 12.

Notandum autem in his cafibus non pro-
nuntiari fententiam aliquam à iudice, fed per
refcriptum concedi tale matrimonium, & per-
mitti, ut Miniſtri Eccleſiarum tales poſſint co-
pulari: quod ipsis alioquin non eſt integrum
in hoc cafu.

Notandum & hoc, differentiam aliquam eſ-
ſe inter ſpadones & alios impotentes ex alia
cauſa. Baſilius de ſpadonibus ſcribit, poſſe illos
vitiare, non autem imprægnare uirgines. De
his ſatis.

Tutiùs autem eſſet, tales ſibi & aliis parcere
& manere cœlibes, iuxta id Chriſti. Matth. 19.
verſ. 12.

SEQUUNTUR QVÆSTIO-
nes aliquot ſingulares.

QVÆSTIO I. ſingularis.
De Matrimonio leproſorum, ſtultorum, ceco-
rum, paralyticorum, mutorum, & ſur-
dorum, & ſimilium.

QVæri ſolet interdum, utrùm talibus miſe-
ris perſonis, permitti debeat coniugium:
præſer-

præsertim leprosis cum sana & integra persona,
&c.

Et fatiùs quidem foret illos miseriam suam agnoscere, quàm eiusdem calamitatis etiam alios participes reddere. Quòd si verò dono continentix (quod rarum esse Christus testatur. Mat. 19.) nò sint præditi, & velint querere adiutoria, atque ea etiam inuenire possint, certè cõiugio illis penitùs interdici non potest.

Monendi tamen prius ne faciant, quod pœnitere possit, tàm pars sana, quàm ægra. Si enim semel consenserint in nuptias, nec desistere velint etiam moniti, non poterunt amplius separari, & non locum habet postea inter illos diuortium. Quod enim semel placuit, displicere amplius non potest.

De stultis verò in specie sciendum, prius explorari illorum voluntatem, an possint cõsentire, & an omninò illis sit propositum nubere. Quòd si patiantur sibi persuaderi, vt desistant à proposito, fatiùs est illos viuere cœlibes. Ideoque plerumq; solet expectari tēporis aliquod interuallum, utrùm voluntatem velint immutare. Quòd si verò constantes perseuerent in hac sententia, quòd velint nubere, notandum, si deprehendatur in illis tale iudicium, (licet maximè alioquin sint simplices) vt videantur posse cõtrahere, & vitæ necessaria vel habeant, vel acquirere, si etiam de coniugio rectè sentire, & orare possint, &c. certè permittendū illis

coniugium : quod à Deo institutum est, vt cedat ad bonum omnibus. Et adiutoriis magis videntur opus habere miseræ illæ personæ, quàm aliæ. Sic conclusum scio, Anno 1601. 5. Febr. in causa Annæ N. & Iacobi N. vbi neutra pars rectè sapere videbatur.

Notandum hoc loco breuiter, quòd ex Iureconsultis plurimi statuunt, etiam surdum & mutum posse cōtrahere matrimonium, modò suum consensum per signa declarent. Cùm solus consensus sit de substantia matrimonii: qui vel verbis vel signis mediantibus dignoscitur.

Q V Æ S T I O I I. singularis.

Verùm quis possit ducere eam, quam polluit priùs per adulterium?

QVæri solet, an maritus, qui factus est adulter, post mortem suæ vxoris possit ducere eam, cum qua olim viuente vxore commisit adulterium. Difficulter quidem hoc obtineri potest: & meritò rariora sunt exempla. Conceditur tamen interdum tale matrimoniū, in fauorē prolis, si quis inde natus sit partus. Allegatur hoc casu exemplū Matrimonii Davidis cū Bathseba. 1. Sam. 12. quod post mortem Vriæ cū polluta illius vxore initum, Nathan Propheta non dissoluit: licèt grauissimè illum reprehenderit. Vide Lut. Tom. 2. lat. Ien. fol. 295. b. Solent autem priùs diligenter inuestigari hæ circumstantiæ.

I. Vtùm

1. Vtrū n non fides matrimonii data sit ab adultero personæ pollutæ, viuente vxore legitima.

2. Vtrū ambo nihil fuerint machinati in necem vxoris defunctæ, &c. Ex cap. significasti. Si nihil deprehendatur factum, permittitur interdum tale coniugium, vt consulatur & matri, quæ nunquam alias videtur commodum fortiri posse coniugium: & proli, Cū infans ex adulterio natus per subsequens matrimonium legitimetur. Permissum id Anno 99. I. Febr. In casu S. & B. Et eodem Anno 20. Dec. In casu. H. & A. Et prius etiam An. 96. 9. Dec. In casu H. & N.

Multū tamen subleuat adulterum, in hoc casu, si mulier illi ignouit delictum, & vt post mortem ducat pollutam ipsa rogauit, sicut in casu S. & B. supra.

Certum autem est, nonnullos in contraria esse sententia: quòd talibus personis non debeat permitti matrimonium. Et ego sanè illud nō nisi ex singulari dispensatione fieri posse statuo.

Nec possunt singularia trahi in exemplum: nec regula ex illis constituenda est.

QVÆSTIO III. singularis.

Vtrum & quomodo liberi ex illegitimo concubitu nati, possint fieri legitimi?

Occasione præcedentis ad hanc delabimur quaestionem. Mirum autem forsitan sim-

plicioribus videbitur si dicamus ex illegitimis fieri posse legitimos: cum videatur absurdum, & impossibile. At potest hoc omnino fieri per subsequens matrimonium. Illud enim sequens coniugium, omnia præcedentia purgat, omnem priorem defectum supplet & restituit: adeo ut infantes qui vel ante confirmatum matrimonium, vel quoque extra coniugium, imò etiam qui ex adulterio nati sunt, pro legitimis habeantur, & rectè pro talibus agnoscantur, si post partum, suo tempore iidem legitimo matrimonio copulentur, ex quibus ille partus antea natus fuit. Et si vel in articulo mortis matrimonium legitime contractum esset, inter illas personas, liberi ante nati, ita fiunt per hoc Matrimonium legitimi, ac si constante matrimonio nati essent.

Nūquid enim Bathseba legitimo Davidi coniuncta thoro fuit, post commissum adulterium?

Ita sanè, ut filius ex Bathseba natus successor regni designaretur, videlicet Salomon: & non alius ex aliis coniugibus natus. Sed & filiolus Davidi natus (licet ex adulterio conceptus) si superstes fuisset, pro legitimo Davidis filio habendus fuisset, propter illud ex post facto (ut loquuntur) cum Bathseba (infantis matre) initum Matrimonium.

Et hanc ipsam ob causam memini permis-
sum vni & alteri, (quorum exempla iam allegata sunt) ducere illam, quam prius per adu-
terium

rium polluerat, vt partus indè natus, per subsequens Matrimonium legitimaretur.

Alioquin & pater & mater infantis nati, & ipse infans, in perpetua hærerent atque morerentur ignominia.

Grauis est enim illa sententia, Sapient. 4. v. 6. iuxta versionem latinam, vbi dicitur, Filii ex illegitimo concubitu nati, testes sunt nequitiaæ aduersus parentes in interrogatione sua.

Ad tollendam perpetuam hanc infamiam, Matrimonium sæpè illis personis permittitur, quibus alioquin iure ciuili illo interdictum est: sicut ex casu prædicto constat.

Magnus enim est fauor prolis: cuius potissimum habenda ratio: ne præter culpam suam, infans per omnem vitam cogatur esse miser.

Et hoc valet etiam in concubinato. Licet enim is per Christum Matth. 19. vers. 5. penitus sublatus, & diuina Ordinatio coniugii, quasi postliminio reducta sit, tamen interdum apud nobiles aut alias personas, cœlibes aut viduas, tales concubinæ aluntur, & ex illis liberi interdum multi suscipiuntur. Quod quidem nulla ratione laudari aut defendi coram Deo potest.

At tamen si postea talis, matrimonio legitimo iungatur cœcubinæ, legitimi omnes antea prognati liberi fiunt: Si maximè is in extremis constitutus suam ducat concubinam. Quæ tamen mora & dilatio sicut excusari nõ potest, ita
maxi-

maximo cum periculo est coniuncta: vbi facile pater morte præuentus, omnes post se relictos liberos, in perpetuam infamiam cum matre coniicere potest.

Si tamen prius interueniat copulatio legitima, quàm moriatur pater, verè legitimi censebunt filii, antè nuptias nati.

Tanta enim matrimonii meritò est Reuerentia, vt tales non fictè sed verè legitimati censeantur, apud omnes sanos.

Quæstionem hanc non eam ob causam his subiecimus, vt inde quid hæreditatis talibus legitimatis sit expectandum doceamus (illud enim ad Ictos pertinet, quibus etiam id decidendum relinquimus) sed ideò hoc monere visum est: 1. Vt Ministri Ecclesiarum in his casibus, vbi officium ipsorum imploratur, ad copulandum tales personas, minus sint difficiles: cum videant, omnia in fauorem prolis, & ad cauenda maiora mala atque scandala, fieri.

2. Vt faciant officium monendo & instando apud eos qui cum concubinis viuunt, vt non differant copulationem legitimam, vsq; ad extremum mortis articulum.

3. Vt authores sint iuuenibus, qui spurios generarunt, vt legitimo Matrimonio iungantur cum his, quas ipsi imprægnarunt: ad legitimandam prolem.

4. Vt sciant honorem legitimatorum tueri & contra imperitos defendere, si forte sint, qui
ipsis

ipsis conuitium facere cupiant, illegitimæ natiuitatis causa.

Iuxtà tamen illos admonitos velim, ne quid. quam in casibus dubiis temerè faciant, vel præcipitanter. Sed personas tales ad iudicem prius remittant: atque permissionem vel prohibitionem à iudice ordinario expectèt. Dico autem de casibus ambiguis & dubiis, sicut est is, de pollutis per adulterium, & similes alii.

Q V Æ S T I O I V.

An ebrius promissionem faciens de matrimonio, possit eandem reuocare sobrius?

IN hoc casu qui frequenter admodum accidere solet, non eiusdem omnes sunt sententiæ, Theologi & Iureconsulti. Dùm illorum nonnulli existimant, hunc contractum planè nullius valoris esse: alii verò statuunt, quod sponsalia ebrietate contracta, non possint rescindi, cum matrimonium valeat, etsi dolo sit contractum.

Rectius tamen sentire videntur qui inter ebrietatem distinguunt, & si immodica sit illa, nihil valere promissionem statuunt.

Peccatur autem hoc casu multifariàm, vt plurimum verò tripliciter: & videtur pro diuersitate circumstantiarum, diuersa etiam posse pronunciari sententia.

Loquimur verò de his, qui sui iuris, & non sub aliorum potestate sunt.

Primum itaque non rarò accidit, vt qui sobrius neque de matrimonio, neq; de certa persona eligenda cogitauit: istamen ebrius (vbi ex vino incaluit) subitò amore infano tanquam furore aut febris correptus, ex improviso puellam, vel viduam amabilem & blandam conspiciat, (mouent enim obiecta sensus) animum adiiciat ad ambiendum illius nuptias.

Vbi tum nulla habita ratione ætatis, conditionis, nulla inquisitione data in adamatæ mores & vitam antea actam, fidem matrimonii, cæco quodam vini & Veneris ductu, illicò dare solent homines stulti, ignotis & nunquam antea visis. Interdum etiam moniti ab ipsis adamatis, vel parentibus, non cessant urgere promissionem, atq; quoscunque obuios in hac sententiam pertrahunt, & vehementer orant, vt adsint & hos ipsorum conatus absque mora iuuent, promoueant.

Et quantò plus biberunt (solent enim vt plurimum hæc inter pocula urgeri fortius) tanto maiori impetu feruntur ad nuptias adamarum: præsertim vbi illæ sciunt vt foro. Multæ enim iam volunt, mox nolunt, & denuò blandiuntur, sibi que semper contrariæ pugnant, vt Mantuanus habet. *Da ist alle Frewd vnd aller guter Will.* Nec possunt persuaderi, proci, vt tractationem istius rei differant in crastinum.

nūm.

num. *Es muß von stundan seyn.* Tum sibi sponsus ebrius videtur esse foelix; & multum sapere: mox sponsus recens, eam suam sponsam vocitare, quam furenter amat, puellæ parentes nomine patris & matris, soceri & soerus compellare, atque affines & quoscunque præsentés sibi multis verbis deuincire solet. Et sic quidem colloquia & computationes atque ebræ & vinosæ Matrimonii tractationes, in multam sæpè noctem protrahuntur.

At mane factò (cùm ebrius crapulam exhalauit) vbi de hesternis sponsaliis cogitat, dicta & facta hesternæ secum animo voluit; ibi tum sobrius & pœnitere de promissis, & crines vellicare incipit, mox resilire, fidem datam negare, per ebrietatem omnia excusare, & de rescindendo contractu hesterno cum amicis agere tentat, Deum Dearumque omnium opem implorat, aureosque montes promittit, dummodo hesternæ promissio irrita fiat.

Hoc casu ego quidem iudico sobrium teneri seruare promissa, quæ fecit ebrius, præsertim si ne monitus quidem ab incepto voluit desistere, & iustæ ætatis, atque sanæ mentis homo sit.

Neque enim ebrietas peccatum excusat, sed duplicat. Et si quidquam perpetratum ab ipso fuisset per istam ebrietatem (putà si vel alicui vim aut conuitium fecisset, aut pulsasset & vulnerasset proximum, aut aliud patrasset scelus)

nullam

nullam certò mereretur excusationem, sed pœnæ subiiceretur. Ideoq; nec hac in parte excusandus erit: quod rem sanctam tractauit ebrius, aliter quàm decebat. Non enim ludum patitur illa sacra coniugii ordinatio. Et quod semel placuit ebrio, sobrio displicere non poterit, iuxta regulam.

II.

Secundus casus quoque non est rarus apud nostrates. Accidit enim sæpè, vt dum vel parentes cupiunt suas extrudere filias, vel cognati aut etiam alii homines leuiculi, illas quibus fauent, venales quasi exponere cupiunt, soleant inescare iuuenes aut viduas, instituendo conuiuia, computationes, choreas & saltationes, & ad illos conuentus, per suos internuntios & roxenetas, (plerumque vetulas aut homines eues qui isthæc curant probè) inuitando, quos petunt.

Et tunc producuntur venales illæ merces, mirum in modum commendantur, vel à cognatis, vel à personis illis intermediis.

Sed & illa, vel puella vel vidua, quæ sic venum exponitur, vt à suis edocta est, consilio speculi gerit omnia, labra mouere discit, & inspecto vultu componere vitro; Incedens humeros discit vibrare natesque: vt habent versus Mantuani.

Ibi tum stultus adolescens, vel viduas, nesciens sibi paratas insidias, (sicut ille qui ad ad-
ulte-

ulteram vocatur Prouerb. 7. v. 23.) amore pu-
ellæ exardens, vini libidinumque flammis ac-
census, & totus excæcatus, audit de nuptiis t a-
ctari & (dum strenuè interim potatur) magis
magisque implicatur his rebus, vt modum ne-
sciat imprudens quomodo se extricare possit:
& nolens volens interdum (coties & tam blan-
dis verbis compellatus) cogitur præsentibus
spem de futuris nuptiis facere, aut matrimonii
fidem dare.

Sic certè multi miseri velut hamo capti, ipsi
ferè nesciunt, quid promittant, dicant, faciãnt-
ve. Ideoque postquam ab illis abierunt, pœni-
tent ad suos reuersi, fidemque datam seruare
nolunt, & consilium tamen non inueniunt,
quomodo honestè, promissionem stultè & te-
merè factam, retractare possint.

Tum verò vnicum id sibi effugium patere
opinantur, quod ipsis vino & aliis rationibus
inescatis, inuitis & nihil tale cogitantibus, ast
dolo malo circumuentis, tales sponsæ obtrusæ
fuerint: quarum nuptias non ambierint vn-
quam. Sicut tales querelæ sæpius audiuntur
passim.

Cupiunt itaque vel iniquissimis conditioni-
bus ab illis liberari, cum quibus se in matrimo-
nio piè & honestè viuere posse negant.

Quamuis autem talibus stultis conuiuis non
erret iniuria, si officio iudicis cogerentur ad ser-
uandum promissa: vt sic alii porrò cautius mer-

cari, & eiusmodi loca suspecta & conuenticula (iuxta doctrinam Syr. 9. v. 3. & seqq. Prou. 23. v. 29. & seq.) vitare discant: tamen mitius cum his agendum & liberos pronunciandos puto.

His tamen conditionibus ita pronuntian- dum censeo.

1. Si res adhuc sit integra, & non interue- nerit copula carnalis.

2. Si tales dolosè inducti, sint laudatè & ho- nestæ famæ homines.

3. Si non quæsierint occasiones eiusmodi nuptiarum.

4. Si post primam infœlicem illam inuita- tionem abstinuerint, ab eiusmodi conuenti- bus.

5. Si non ipsi conuiujs & conuentibus talibus interesse cupuerint: aut occasionem dederint, &c.

Porrò quantum ad illos omnes attinet, qui sic videntur frustrari spe sua, non fit illis iniu- ria. Quia si dolosè induxerunt alios, certum est quòd ne mica quidem honestatis in ipsis sit. Etenim viri boni, honestæ item matronæ, aut virgines, istas artes non tractant, nec sic dolosè & nefariè agunt.

Magistratus verò officium quod attinet, de- bent illi in eiusmodi parentes (qui verè sunt lenones) & proxenetas & alios quoscunque, qui his artibus operam dare solent, grauissimè animaduertere: quod non præsens tantum Or-
dinatio

dinatio Matrimonialis, sed & aliæ Constitu-
tiones volunt.

Etenim coniugium res diuina & sancta, ho-
nestè tractari debet, absque omni dolo, fuce, &
malis artibus: nec inter pocula, nec ab ebriis,
sed à sobriis, loco & tempore conuenienti, ad-
hibitis testibus viris bonis & honestis: vt suprâ
cap. 2.

III.

Tertio. Accidit & hoc non rarò, vt qui alibi
per totum diem ebrietati operam dederunt, ad
vesperas, vbi satis benè poti sunt, vt neque ma-
nus neque pedes neque lingua etiam possint
facere officium, tum demum soleant reptare
ad ædes alicuius puellæ, vel viduæ honestæ: & i-
bi multa de nuptiis & matrimonio balbutire:
nescientes quid garriât aut quo loco consistât.
Nullus itaque talium potest esse assensus legi-
timus. Vt plurimum enim mane factò, planè i-
gnorant, vbi locorum fuerint, quid fecerint
aut dixerint.

Horum sollicitationes, blaterationes, pro-
missiones & nugæ de sponsaliis & matrimonio,
(quidcunque tandem ebrii garriant) pro fabu-
lis & deliriis ebriosorum hominum habendæ:
nec vrgendæ postmodum, si tales, planè ignari
harum rerum, sobrii nihil eorum repetant, quæ
promiserunt ebrii.

Quòd si verò tales proci homines sint leuif-
simi, qui interdum ebrii nuptias honestarum

virginum & viduarum ambiunt, de quibus sobrii ne per somnium quidem auderent cogitare, & ne quidem moniti à proposito desistere velint: sed insuper turpes & obscæni atque impudici esse cœperint: qui pias aures obscænis sermonibus offendere non erubescant (sic enim plerunque fit, iuxta id: Nunquam elorium putabo castum) illis de matrimonio crocitantibus & grunniuntibus, non tantùm aures non esse præbendas, sed fustibus abigendos tales procos iudico: vt Consistorii Matrimonialis auxilio & iudicio postmodum non sit opus.

Debet etiã Magistratus in illos animaduertere, si sæpius recurrant & modum excedant.

Q V Æ S T I O V.

Vtrum liceat ducere coniugem infidelem, Ethnicam vel Iudæam, aut aliam de Religione dissentientem?

HAnc quæstionem etiã D. Philippus Melanthon in libello suo de coniugio edito Anno 1551. proposuit: & primum approbavit Canones, qui prohibeant ducere Ethnicam & hæreticam. Idque bono consilio constitutum esse affirmat. Quia etiã lex diuina prohibuerit coniugia cum Philistæis.

Addit autem, tenendam esse hanc regulam: quod Euangelium non abolet politias, sed concio-

concionetur de interna cordis iustitia. Interea inquit, finit nos in vita externa vti legibus Politicis non pugnantibus cum legibus naturalibus. Ideò Paulus iubet vt retineant Christiani coniuges, qui volunt manere in eodem coniugio, etiamsi non amplectantur eandem Religionem. Adducit exemplum matris Augustini, quæ manserit in coniugio hominis Ethnici & asperi, qui ipsius obsequiis motus ad Christianam religionem sit conuersus, &c.

Videtur autem distinctè ad hanc quæstionem respondendum. Et primum quidem, si Christianus gentilem vel Iudæam, quæ à sua religione nolit discedere, ducere velit, certum est, bona conscientia vel non quærendum, vel tamen non permittendum matrimonium. Quia Deus ipse prohibet matrimonium contrahere, cum Cananæis & gentibus Idololatriis. Deuteron. 7.

Atque grauitè reprehenditur factum Salomonis, qui duxit Gentiles vxores, inde factus & ipse legitur Idololatra. 1. Reg. 11.

Et iura prohibent Christiano ducere Iudæam.

Si verò infidelis persona spondeat se transfuram ad veram religionem, alia erit ratio.

Alia etiam est ratio de his, qui sunt de Ecclesia (licet diffideant in quibusdam capitibus religionis) quàm de his, qui Christianam fidem oppugnant.

Quanto verò cum periculo sit coniunctum, si iungantur diuersæ religionis coniuges, illud in Promptuario Connubiali ostendimus.

Alia quoque est ratio, si ambo coniuges sint infideles, & alter ex illis amplectatur Christianismum: alter in errore & infidelitate permaneat. Tùm non posse fidelem desere infidelem, nec etiam illos debere ab inuicem discedere, Paulus testis est. 1. Cor. 7. Et spem esse, quòd fidelis infidelem possit lucrari, aut seruare: quod per sanctam conuersationem tentandum Petrus monet. 1. Pet. 3.

QVÆSTIO VI. singularis.

De matrimonio iuuenis & vetula.

Licet tale matrimoniũ non sit prohibitum, offendi constat tamen plurimos ex vulgo imperitos, hoc contractu. Cùm igitur prohiberi non possit, (siquidem non vnus tantum finis est matrimonii, sed plures, at verò contractus talium huic fini respondet, de quo 1. Cor. 7. ad vitandam fornicationem cõiuges fieri debere, qui continere non possint) erunt nõnulli de hoc coniugio admodum sinistrè iudicantes, nec pro vero illud matrimonio habentes, non minùs, quàm ipsi contrahentes, hoc loco paucis admonendi.

i. Sciendum itaque tale matrimonium ratione illius finis, de quo iam diximus, verum esse pos-

se posse matrimonium. Et propterea non improbandum, vel impediendum (si iam sit facta promissio) ab his, qui consilium suum subministrare debent hoc casu matrimonium contrahentibus.

Satius autem esset, de euentu prius cogitare, quam fiat promissio. Sic enim & vetulae & iuvenes, rebus suis rectius consulere possent.

Alia ratio est de sena & iuuenicula, vbi certa proles videtur sperari posse.

2. Non verò temerè talia matrimonia contrahenda iuuenibus, propter nummos: cum sic non minima parte diuinæ benedictionis carere cogantur.

1. Non pertinet ad illos benedictio illa, crescite & multiplicamini, &c. quæ sanè fuit maxima. Gen. 1. 9.

2. Facile capit illos sarietas, & poenitet dixisse inuicem, vbi furor ille insanus deforbuit, vel nummi deficiunt.

3. Comitatur tales nuptias plerunque grauis illa carnificina, zelotypia. Nunquã enim vel rarissimè tamen iuuenibus fidunt vetulae. Exempla sunt odiosa.

4. Nec vnquam felix esse potest coniugiũ. Cuius fundamentum fuit auaritia aut cupiditas pecuniæ. Vide 1. Tim. 6 Et Syr. 25. v. 29.

5. Laquei iniecti iuuenibus, plerunq; multum damni dant, & causa sunt multorum malorum, sæpè etiam infamiam attrahunt. Ergo si

qua voles aptè nubere, nube pari, & ætatis, morum atque alia ratione. Et imprimis nubendum *in Domino*. 1. Cor. 7. Et hæc quidem hæctenus de causis Matrimonialibus dicta sufficiant, &c.

Quamuis autem plures & penè infinitæ aliæ quæstiones occurrant, quæ forsitan non nihil possunt torquere iuniores Ecclesiarum Ministros, qui meliores hæctenus & accuratiores de coniugii variis casibus commonefactiones habere non potuerunt: (cum antiqua Theologorum de his casibus scripta iudicia (vt Brentii, Philippi Melanthonis & aliorum) iamdudum distracta, Iureconsultorum verò consilia ipsis nō satis cognita sint:) mei tamen instituti non fuit, omnes & singulos casus difficiles & dubios hoc loco explicare. Cùm plurima in illis occurrant, quæ magis ad Iureconsultos, quàm ad Thēologos pertinēt: quibus illud etiam ex iure ciuili & communi decidendum committitur. De quibus suprā in præfatione plura.

Cum Lutherō enim sentio, illa omnia, quæ non cum substantialibus matrimonii conscientia casus permixtos habent (vbi ex verbo Dei conscientia subueniendum est) Iureconsultis committenda esse. Vocantur illi *Sacerdotes iustitiae*. Et sanè si officii sui partes sedulò exsequuntur, & non dicunt malum bonum & bonum malum, nec ponunt tenebras lucem & lucem tenebras [Esa. 5. vers. 20.] nec conuertunt iudicium in fel,

in fel, aut fructum iustitiæ in absynthium, (Amos 5.v.7. & 6.v.12.) sed subueniunt oppresso, quærunt iustitiam & iudicium, defendunt viduam, iudicant pupillo (hoc enim requirit ab ipsis Dominus Esa.1.v.17.) certum est, amplissima illis præmia, & ipsam quoque iustitiæ coronã esse reposita: quam impositurus est Deus *iustus iudex* omnibus diligentibus aduentum eius, & fidem cum bona conscientia seruantibus. 2. Tim. 4.v.8. 1. Tim. 1.v.19. Faxit hoc

Deus vnus & trinus benedictus
in secula. Amen.

* *
*



H 5

INDEX

I N D E X



I N D E X

sive

DESIGNATIO
PRÆCIPVORVM CAPI-
tum, atque quæstionum memorabilium
huius Tractatus.

C A P V T I.

1. **A**N liberi possint sine consensu parentum con-
trahere matrimonium.
2. An iuramento facta promissio possit rescindi à
parentibus.
3. An parentum consensus attendatur, si res non
sit integra.
4. Vtrum parentes teneantur dissensus sui ratio-
nem reddere.
5. Quando parentes consensum non possint reuo-
care.
6. Vtrum dissensus matris etiam valeat.
7. Quod aui & auia eadem potestas defunctis pa-
rentibus.
8. Vtrum parentes nuptias liberorum semper pos-
sint impedire.
9. Vtrum parentes possint liberos cogere ad ma-
trimonium.

10. De

C A P. & Q V Æ S T.

10. De assensu liberorum.

11. De consensu curatorum & propinquorum.

C A P. II.

1. De promissionibus clandestinis.

2. An copula carnalis matrimonii promissionem
inuet.

3. Quare stuprator non cogatur ducere vitiatam.

4. Quando clandestinitas non vitiet matrimo-
nium.

5. Quando publica sponsalia preferantur clande-
stis.

6. Qui duabus promisit matrimonium, quam co-
gatur ducere.

7. Vtrum Magistratus cogere possit ad consum-
mandum matrimonium.

C A P. III.

1. Quinam gradus cognationum lege diuina sint
prohibiti.

2. An prohibitio legis Mosaicæ pertineat ad No-
uum Testamentum.

3. An Leuit. 18. tantum personæ sint numerandæ,
an verò gradus.

4. Quid de Patriarcharum coniugio sentiendum.

5. Lutherus in quo errauerit circa hanc questio-
nem.

6. An liceat ducere filiam sororis uxoris?

7. An neptem illius? aut simili gradu cognatas.

8. Quæ ratio prohibitionis in gradibus præceden-
tibus.

30

9. Dispen-

I N D E X

9. Dispensatio vtrum habeat locum in gradibus lege diuina prohibitis.
10. Quibus generibus cognatorum prohibitum matrimonium in Ordinatione Wirtembergica.
11. An liceat coniungi cognatis in 2. gradu consanguinitatis.
12. De tertio gradu consanguinitatis.
17. 13. De gradibus affinitatis prohibitis.
12. 14. Quare plures gradus lege municipalis prohibiti, quam diuina.
15. Quibus praeter cognatos & affines matrimonio interdictum in Ordinatio Wirtemb.
17. 16. Quinam gradus in Papatu sint prohibiti.
14. 17. Dispensatio quando & in quibus gradibus locum habeat.
15. 18. Quibus affinibus liberum sit contrahere matrimonium.

C A P. I V.

De raptu & vi coactis: vel dolo inductis mulieribus.

C A P. V.

1. Quando adulterii causa possit fieri diuortium.
2. Vtrum parti nocenti alia vota permittenda.
3. De adulterio sponsi & sponsae.
4. Vtrum faciendum diuortium si quis duxerit compressam ab alio.

C A P. V I.

1. Propter rixas, iurgia, verbera non fieri diuortium.

2. An

C A P. & Q V Æ S T.

2. *An propter scelitiam, machinationem vite atq^{ue} veneficium fieri possit diuortium.*

3. *An propter lepram, Epilepsiam & furorem atque morbos incurabiles possit fieri diuortium.*

4. *An propter delictum alterius coniugis possit diuortium fieri.*

C A P. V I I.

1. *An propter desertionem possit fieri diuortium.*

2. *De re ditu Desertoris.*

3. *De desertione sponsi & sponsæ.*

4. *An propter negatum debitum coniugale possit fieri diuortium.*

5. *An propter impotentiam possit fieri diuortium.*

6. *An impotenti matrimonio prorsus interdendum.*

S I N G V L A R E S Q V Æ -
stiones.

1. *De matrimonio leproforum, stultorū, cecorum, mutorum & surdorum, paralyticorum & similium.*

2. *Vtrum quis possit ducere eam, quam polluit per adulterium.*


3. *An liberi ex illegitimo concubitu nati, possint fieri legitimi.*

4. *An sponsalia ebrietate contracta rescindi possint.*


5. *Vtrum liceat ducere coniugem infidelem.*


6. *De matrimonio iuuenis & vetulæ.*

F I N I S.










Restaurierung
H. D. Lomp
36110 Schlitz



B.I.G.

Farbkarte #13



DE CAUSIS MATRIMONIALIUM TRACTATUS

brevis Theologicus.

QUO NON TANTUM
PRINCIPALIA CAPITA ORDINA-
ris Matrimonialis Wirtembergica, sed
& difficiliore nonnulli Casus alii
paucis explicantur.

INSERIPTVS PRO
Iuris Ecclesiae in Ducatu Wirtembergico, &
sumptuario Connubiali antehac affixus: nunc
verò recognitus, quibusdam in locis
auctus, & certis de causis seor-
sim editus,

PER

Felicem Bidembachium D.



FRANCOFVRTI,
typis Wolfgangi Richteri, sumptibus
Iohannis Berneri.

ANNO MDCCVIII.

